


Handwritten text at the top left, possibly a date or reference number: "1688" and "10".


Handwritten text in the upper left quadrant, partially obscured by a circular stamp.



Large block of handwritten text in the lower left quadrant, written in a cursive script.

SE. 12.090
EPISTOLAE
CLARORVM
VIRORVM,



Quibus veterum autorum loci complures ex-
plicanti, tribus libris à IOANNE MI-
CHELE BRUTO comprehen-
atque nunc primùm in
lucem editæ.



COMITE FORTUNA.




LVGIVNI, APVD HAERED.
SEB. GRYPHII.
1561.




et 85-8 40

Handwritten Latin text, likely a preface or commentary, written in a cursive hand. It is partially obscured by a circular stamp and other markings.




P. O. S. E. 13-12.090

EPISTOLAE CLARORVM VIRORVM,




Quibus veterum autorum loci complures ex-
plicantur, tribus libris à IOANNE MI-
CHAELE BRUTO comprehen-
sæ: atque nunc primùm in
lucem editæ.




moisou

VIRTVTE DVCE,




COMITE FORTVNA.



LVGDVNI, APVD HAERED.
SEB. GRYPHII.

1561.



Mathematica Universitaria
34
822



AD IULIUM ROVE-

REVM FELTRIVM SAN-

cti Petri ad vincula Cardinalem am-
plissimum Ioannis Michaëlis

Bruti in tres libros epi-
stolarum

PRÆFATIO.

*

IN omni vite munere fungendo,
cum multa nobis à natura, &
gravissima imposita sint, magna
quidem est illi proposita laus, qui
recte eo fungi & præclare potest.
Siue autem is magno in imperio positus ex sua
dignitate, & fide Rempub. administrando, leges
populis & iura describit: siue idem in rei dome-
stica procuratione, ad honesta studia liberos insti-
tuendo, alacri & lato animo magistratum legi-
time gerenti paret, cum in eo, qui imperat, & in
eo, qui imperata facit, commendatio officij, mode-
rationisq; sit: maxima illi laus atque amplissima

* 2 debe

4
 debetur. Una enim est ratio vitæ hominum tuenda necessaria maxime, ut qua quisque in arte præstat, etiam si minus illa honesta hominum opinione & præclara, ea, quoad eius fieri potest, esse vsui & præsidio omnibus velit, qui illa videantur indigere. Etsi autem multa à nobis desiderantur in vita agenda, quæ, cum sordida admodum atque illiberalia sint, non ita æquo animo obire liberi homines possunt: at nihil tamen ea res habet, si quis illam magis ad communis vitæ usum, quam ad suam rationem æstimare velit, quare sibi fieri iniuriam querantur. Ita porro esse statuendum videtur, nihil homine esse indignum, etiam si ea in re plerique inducti ambitione & cupiditate falluntur, quod sit idem homini ad honeste & cum laude viuendum necessarium. Naturæ vero instituto, quod quidem fortuna peruertit sæpissime temeritate summa & inconstantia, ne quid nobis desit, quò minus honeste à nobis vita & liberaliter traducatur, & ad magna gerenda imperia apti homines, & ad vitæ munia obeunda, quæ sordida sunt, quotidie plurimi nascuntur

5
 scuntur. Sed fit fortuna iniuria (præposterè quidem, ac magno totius generis humani incommodo) ut qui magnitudine ingenij, atque animi præstantia excellentes, quò illos natura impellit, ad magnas gerendas res studio & cupiditate efferantur, eorum imperio pareant, qui, si ineunda vitæ ratione naturam ducem sequantur, vix videantur digni esse, quorum opera homines aut fodiendo agro, aut sylua cædenda, aut purganda area euerrendaq; utantur. Quæ tamen suscepta ab illis partes, & si quæ sunt alia, quæ esse tenuiorum atque infimorum putantur, suam laudem haberent, & quidem longè maximam: si cum eas agerent, studio perficerent atque animi alacritate, ut non sui magis, quam aliorum causâ illas præstare, atque adeò volentes libentesq; viderentur. Neque enim, quid illud sit modò, quod homines agant, spectandum est, sed quem finem etiam sequantur in agendo: ut si Reipub. moderator, legibus quamvis optimis condendis, studio laudis & gloriæ ducatur: qui agrum colit, imperanti naturæ parens, ex illius instituto sanctissimo sibi ho-

P R Æ F A T I O.

minum commodis seruiendum putet, longè is videatur moderatori ciuitatis, quanquam eius est munus inter homines honestissimum; præferendus. Hæc me vna res, cum ego nunquam mihi sumpfisssem, vt magnis gerendis rebus, id quod minime mihi per meam fortunam liceret, vitæ hominum consulerem, in magnam spem tamen erexit fore, vt si quid mihi natura tribuisset, quod studio à me, atque industria elaboratum in communem vsum omnium conferrem, in eo ipso representando fructus mihi mei officij maximus constaret. Itaque aut scribendo ipse aliquid, id quod nunquam facere intermitto (quàm ego id rectè, alij viderint) aut, quæ docti homines scripserunt, proferendo in lucem, quæ præclara eadem, atque elegantioris doctrinæ, & reconditioris referta, studiosis hominibus voluptati esse, & præsidio ad viuendum possint: enitor, quantum in me est, ne quando iure videantur hoc à me officium desiderare. Ita autem me à prima mea ætate comparavi, vt, quandiu meminisssem me natum hominem esse, tandiu intelligerem me illis omnia debere,

P R Æ F A T I O.

debere; quorum causâ me hominem natura finxisset. Atque eo nunc consilio à me eduntur erudita epistola clarorum hominum tribus à me libris comprehensæ, quibus me duas res assequi spero, cuius in primis in studio litterarum experendas. Nam cum disertæ maxime, & luculentæ sint, studiosis eloquentiæ hominibus exempla cumulatè ad bene atque eleganter scribendum suppeditabunt: eruditione & doctrina, quæ multiplex in ijs, variaq; est, ad informandum animum cogitationibus optimis adiumento erunt. cum enim à veteribus viris doctissimis, atque eloquentissimis epistola permulta scripta ad nos peruenissent, ex quarum imitatione, quicumque huic scribendi generi dediti essent, plurimum proficerent: ysdem autem præcepta doctrinæ peti ab eruditis hominibus liceret, atque excellenti ingenio præditis, sed qui ferè hunc cultum, atque ornatum orationis neglexissent, cuius studio tenentur: illud nobis agendum fuit, vt vtrunque vt eadem opera amplecteremur ijs epistolis selectis: in quibus præter orationis nitorem, atque elegantiam, abstrusa res

* 4 permul

permulta & recondita explicarentur, quarum esset cognitio pulcherrima. Ita autem nobis persuasum erat, ubi in horum altero modo nostrum studium, operaq; constitisset, parum illis emolumenti atque utilitatis accessurum. Enimvero cum in hac re visi sumus satis nostro officio fecisse, id quod libero homini omnium esse antiquissimum debet: tum vero illud consequuti sumus, ut cum tuo nomini maximo atque amplissimo inscriptae epistolae in publicum proponerentur, praeclearum nostri in te studij, atque obseruantiae documentum ad posteritatem constitueretur. Deuinxit autem me tibi summo homini non quidem, quae maxima est, maiorum tuorum nobilitas, non parentis tui optimi Principis, atque imperatoris clarissimi, magnis gerendis rebus, gloria summa parta & laus, non denique haec tanta dignitas, quae nonnunquam gratiae magis, quam verae virtuti patet, sed excellens tua virtus, literarum studium, atque omnis politioris doctrinae, propensio in doctos homines, caetera ornamenta maxima, quae sunt ita propria Feltriae domus,

domus, ut cum vna semper in Italia maxime hospitio illustrium virorum floruerit: ex ea ferè quicumque aut nostra, aut patrum memoria, literarum, aut militiae commendatione sunt famam hominum & nomen consequuti, & profecti simul, & proeecti ad summos honores, amplissimasq; dignitates, magna quidem cum laude maiorum tuorum summorum hominum, dicantur. Viget autem haec fama non iam apud nostros homines solum, sed etiam apud exterarum nationes omnes, vnam esse in Italia Principum Urbinae domum, ex qua quidem, tanquam fonte, & seminario virtutum, atque optimarum artium omnium exempla petantur ad eas res omnes singularia, in quibus qui versantur, & studiosi maxime honestatis, & appetentes laudis & gloriae euadant. Quae omnia quidem cum tanta sint, ut etiam caetera absint, quae magis imperiti homines admirantur, satis faciunt fidem, delatum tibi admodum adolescenti summum honorem, non fortunae, aut nobilitati maiorum habitum, sed pudori, probitati, religioni, clarissimis tuis & maxi-

P R Æ F A T I O.

mis virtutibus fuisse. Incensum autem me studio
 tuarum laudum, ut eas testificatione illustri cele-
 brandas mihi, ornandasque statuerem (id quod ego
 meis viribus diffusus, de me nunquam ausus es-
 sem polliceri) movit Albericus Cibo nobilissimus
 Princeps Elisabethæ sororis tuæ vir, amplissima
 ac lectissima foemina: cuius ego auctoritati non
 obtemperare, minime sine gravi scelere potuis-
 sem. Cum autem tanti eius auctoritas apud me
 sit, quanti esse illius debet, cuius sunt magna in me
 beneficia, & merita, virtus, magnitudo animi, li-
 beralitas digna ijs laudibus, quibus illum docti
 homines in cælum ferunt, quos sibi omni genere
 liberalitatis & munificentia deinxit: facile per-
 uicit, ut pudori meo quasi vim afferrem, viresque
 ingenij in re multo quidem ijs maiore, grauioreque
 auderem periclitari. Atque, ne hæc vna modo
 accessio esset, Elisabetha Princeps verentem ad-
 huc me, ne genere officij merito sepe parentibus
 hominibus suspecto, & inuiso aucupari magis
 tuam gratiam, quam seruire tuæ gloriæ, parum
 certè pudoris mei habere rationem, & constan-
 tia

P R Æ F A T I O.

tiæ viderer, auctoritate summa erexit, & confir-
 mauit sua. Nam præter maximarum virtutum
 omnium insignia clarissima & ornamenta, qui-
 bus exculta in sanctissima, & castissima domo,
 omnes facile in sui admirationem trahit: perpe-
 tuo quodam studio & præclaro de me optime me-
 rendi, si qua est reliqua in me facultas referendæ
 gratiæ, quod minime equidem agnosco, iure à me
 optimo repetere omnia videtur, quæ debita à me
 summa virtuti præstari utcumque eidem ornan-
 dæ atque illustrandæ possunt. Ac qua vna in re
 maxime ego à suscepto consilio deterrebar, in ea
 mihi magnopere fortuna fauit. Cum enim hæc
 tuo nomini inscripta edere in lucem constituis-
 sem: in explicanda consilij mei ratione, neminem
 sum arbitratus ita mihi iniquum futurum, quin
 illi, ubi intelligeret, quem ego hominem ijs edendis
 mihi patronum delegissem, facilime hoc ipsum
 meum consilium probarem. Nam si quis mihi
 deligendus erat, cuius esset nobilitas summa, fami-
 liæ splendor atque amplitudo, gratia, opes, digni-
 tas, his omnibus maior & præstantior virtus:
 nemo

nemo erat quidem futurus, ut delectus etiam inter paucos haberetur, quem tibi in hac laudis contentione tanta anteferrem. Illud autem assequutus es studio quodam virtutis singulari (quod plurimi quidem faciendum est, & assequuntur admodum pauci) ut cum quis tuas res efferat laudibus, is potius maiora predicatione sua, quam re afferre, quæ me res planè vindicat ab omni assentandi suspicione, videatur. Etenim cum omnia à fortuna habeas, quæ esse summa inter homines putantur, à parente partam gloriam tantam, ut omnium consensu cum rei militaris scientia, atque omnibus imperatorijs artibus, tum usu rerum maximarum, eloquentia, ingenio, gravitate, fide princeps sua ætate habitus sit, ut omittam fratris magni Principis præclaram atque excellentem virtutem, dignitatemq; summam, tibi ad studia hominum promerenda & benevolentiam propositam: à te quidem vno omnem tibi duci commendationem ad gloriam velis: cum sis in summorum Antistitum collegium coopertus secunda in primis omnium voluntate, & fama, nisi

nisi amplissimo ordini ipse ornamento sis, minime eum tibi ornamento futurum putes. Hanc tantam virtutem si vlllo ego orationis artificio consequi sperem, haud satis videar mearum virium conscius esse: eandem, quando eo loco est sita, ut tanquam ex altissima specula, æquè & collustret omnia, & ipsa in oculis omnium sit, ne videar vnus sensu penitus carere, perspectam planè mihi & testatam prosequi omni genere laudis instituam, quod ab homine modo mediocri ingenio, atque usu, studio quidem ardenti proficisci, & cupiditate possit: grati certè hominis officium à me susceptum, & beneficiorum maximorum non immemoris, si magis quod volui efficere spectandum est, quàm quod sum assequutus, cupidissime exoluam.

Vale.

*

A N T. G R Y P H I V S
L E C T O R I S.

Admonitum te velim, humanissime
lector, consilium nostrum initio
fuisse, ut primus harum epistolarum liber
eas duntaxat contineret, quibus veterum
auctorum obscuriores loci declarantur:
secundus eas, quæ ad historiam pertinent:
sed operarum siue imprudentia, siue in-
curia factum esse, ut primus & secundus
liber vnius libri locum obtinerent, neque
inter se distinguerentur. Quo errato ad-
misso, necesse habuimus tertium in loco
secundi collocare: ita ut pro tribus libris,
quanuis nihil eis deesset, & re vera totidem
essent, tamen nomine, & verbo duo vide-
rentur. Iccircò ab amicis nostris viris do-
ctis, petiuimus, si quas haberent epistolas
disertas, elegantes, eruditas, earum nobis
copiam facerent, ut ex eis librum tertium
confic

P R Æ F A T I O.

conficeremus. Impetrauimus: treis episto-
larum libros, quemadmodum initio co-
gitaramus, ad te deferimus. Quòd si, quæ
nostra primò fuerit distinctio, scire voles,
primi libri postrema epistola erat ea, cuius
principium est *Scribis te, &c.* pag. 95. Secun-
dus liber, qui ad histor. pertinebat, initium
capiebat ab epistola *Ita est Vespasiane.* pag.
99. Qui tertius erat, nunc autem secundus
est, is complectitur epistolas variij argu-
menti. In tertio, præter vnam, in qua ali-
quot veterum scriptorum loci vel
explicantur, vel emendantur,
epistolæ familiares
inclusæ sunt.

Vale.

*

EPISTOLARVM

CLARORVM VIRO-

RVM, LIBER

PRIMVS,

*

Quo veterum authorum loci
explicantur.

*

PETRVS VICTORIVS IO.


Casæ Archiep. Beneuen. S. P. D.



VI alias quasdam ad
te scribendi occasiones
omisi, ne te in magnis
Reipublicæ rebus vehe-
menter occupatum, ma-
gis impedire, diuq̄ mihi
ab hoc officij genere tem-

*peravi: nunc quum casus tulerit, vt tecum com-
municare aliquid debeam de ijs, quæ ad studia li-
terarum pertinent, quibus te scio valde, atque ex
animo delectari: facere non potui, quin statim ad
te Epistolam hanc exararim. Hoc autē si aliquis*

fort



fortasse hoc tempore factum reprehendet, atque ineptum putabit, te non omnino (quæ tua est humanitas) contempturum confido. Quin contra solet potius varietas rerum oblectare, & animum fessum grauioribus curis, assiduisq; cogitationibus huiuscemodi aliquis sermo è sinu musarum promptus, reficere, atque recreare. Quum igitur hic adolescentibus nostris, qui Græcæ linguæ perdiscenda studiosi sunt, Orestem fabulam Euripidis interpretarer, veni ad eum locum, ubi Helena persuasa ab Electra, filiaë Hermionæ parteis illas imponit portandi comam suam, ea de causa casam, cæteraq; quibus moris erat ea ætate mortuos munerari, ad sepulcrum Clytemnestræ: ut honorem cum sorori haberet, seq; magno dolore affectam ex acerbo illius interitu significaret. Post quæ verba, quum Electra plena admirationis exclamet, naturæq; vim incredibile esse in vtranque partem affirmet, siue boni aliquid, siue mali ab initio vitæ illa hominibus dilargitur, ac statim, quod in vniuersum protulerat, illi ipsi rei, de qua agebatur, accommodet: dixi, me putare, loqui ipsam de pulchritudine
Helena:

Helena: quam tãtam fuisse ostendere vult, quemadmodum sanè omnium sermone illa ferebatur, vt factò hoc, quod vnum maxime corrumpere ipsam ac labefactare potuit, violata nulla ex parte sit: adiunxiq; in eam mentem venisse Poëtam, eruditum valde, atque ingeniosum virum, magnopere verisimile esse, vt quum in manibus Helenaë personam haberet, induceretq; illam fecisse, quod rationibus ipsius magnopere contrariu erat, deprauareq; poterat id bonu, quo illa cæteris mulieribus antecellebat: cogitarit, an ipsi contigisset, quod alijs minore pulchritudine præditis necessario euenisset: idq; nullo modo factum esse ostendere voluerit: quod multum valet ad famam peruulgatam de illa, confirmandam: constantiq; omnium opinioni de eximia specie corporis ipsius respondet: simulq; commemoravi, non me fallere, Græcas declaratiunculas aliter locu capere, & ab hac sententia discrepare, quarum tamen authoritas apud me nulla foret, quum multis signis intelligi possit, ipsas alicuius esse, vel plurium potius, qui superiore ætate vixerint, quum extinctæ iam ita

in Grecia bonæ artes essent, ut vix scintilla aliqua veteris eruditionis in ipsa restarent. Nam quod ille putavit hoc Electram protulisse, quia pristinam, & innatam malitiam in animo Helenæ manere adhuc ex facto illo cognovit: leue admodum, ac nugatoriū me illud existimare ostendi, ad indicandam naturæ ipsius pravitatē, quæ multis atque insignibus facinoribus notata erat. Si nanque quod interpretes arguit ipsam fecisse, eo animo ac consilio Helena fecisset, in tenui re illa peccasset, nec satis iustam causam exclamandi Electra habuisset. Neque enim decet eam valde mirari, quum vsitatum aliquid quotidianumq; sit: nec vocem eo tempore tollere oportet. Affinis enim tunc Helena illi culpæ fuisset, cui omnes mulieres vulgò obnoxia sunt: cunctæ nanque formæ suæ cōservandæ vehemēter studiosæ sunt, cauentq; quicquam facere, quod gloriam illam suam imminuat. Ut autē hoc infirmum admodū argumentum eius rei demonstranda fuisset, ita quod ipse cogitavi, magni momenti esse ad id significandū affirmavi: quod etiam inde perspicere posset, quia Terentius

rentius in Phormione, quum induceret seruum admirabilem quandam ac novam pulchritudinem Virginis cuiusdam commemorantem, facit illum his signis ipsam declarare: exponit enim eam inuentam fuisse huiuscemodi quodam habitu corporis, vestituq; qui tamen ipsam maculare nullo pacto potuit. Comicus enim hic quoque eadem ratione insitam à natura, & ingentem fuisse pulchritudinem illam significare voluit: inquit igitur apud eum Cera-Virgo pulchra, & quò magis diceret, nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem: capillus passus, nudus pes, ipsa horrida: Lachrumæ, vestitus turpis: ut ni vis boni in ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent. Sed quid dico Terentium, studeoq; hoc testimonio etiam illius comprobare? qui sane non omnino eodem argumento vitur, quum vetus ipsius interpretes Donatus tradat Apollodorum; unde fabulam hanc vertit Terentius, fecisse tonsorem ipsum nuntium: non adolescentem, qui forte in tonstrinam venisset: qui tonsor apud eum diceret, se nuper puellæ comam ob luctum abstulisse: totumq; se effunderet, verifi-

mile est in eam pulchritudinē celebrandā, quam factō illo maximē inimico pulchritudini, nō vidit immutatam. Addit autē idem eruditus Grammaticus, varietatis huius rationem reddēs, se scire hoc Terentium mutasse: ne externis moribus spectatorem Romanum offenderet. Nam quod videtur huic meae sententiae aduersari in Graecis verbis: docui aliter capiendum esse, atque interpres ille Graecus accepisset: intelligo, inquam, quod apud Poetam est $\omega\alpha\rho' \acute{\alpha}\chi\rho\alpha\varsigma \omega\varsigma \acute{\alpha}\omega\epsilon\theta\rho\iota\xi\epsilon \xi\iota\chi\alpha\varsigma$: valet enim $\omega\alpha\rho' \acute{\alpha}\chi\rho\alpha\varsigma$, propè partem illam capillorum, quae capiti haeret: tanquā Electra dixerit, ad cutem Helenam comam totondisse: quem magnum ornatū muliebris corporis quum penitus, pietati seruiens, sibi dempsisset, non tamen ipsam inde turpem redditam. Nec existimari debere hoc insolens esse, quod Poeta vocārit summos capillos partem illam, quae quasi radix ipsorum est: qui enim tondere caesariem incipiunt, ad eam partem postremò perueniunt: praecipueq; in muliebri coma quae proluxa est valde, atque pendet è vertice, videtur ipsa rectè summa appellari

lari potuisse. Addidi etiā, me arbitrari, si Poeta diuersa ratione vltimam partem capillorum intelligere voluisset, ipsam praepositionem $\omega\alpha\rho'$ additurum non fuisse: quae fortasse causa fuerit auctori eius scholij, vt erraret: qui hoc non animaduertisset, & magis communem, vsitatamq; notionem eius nominis secutus esset. Cumq; molestum praeterea sit, quod sequitur, $\epsilon\tau\iota \delta' \eta \omega\alpha\lambda\alpha\iota \gamma\upsilon\upsilon\eta$: qui enim quempiam eundem esse ait, qui olim fuerit, & naturam ipsius, moresq;, & formam, effigiemq; corporis in eo conseruatam esse intelligere potest, grauisimusq; scriptor, ac magna inter Graecos auctoritatis, contrariam in partem vsurpet hanc vocem: confessus sum, hoc me magis perturbare. Plutarchus enim solitus saepe locis illustribus Poetarum sensus suos explicare, in Alcibiadis vita, institutisq; connumerandis, vti narrat, quomodo ille Lacedaemone vixerit, ac quē admodū ingenium suum ad tempus versarit, quum ostendisset, quid pronuntiari de ipso potuerit, si quis tantum, quae extra posita in eo forent, quaeq; ille simularet, spectasset: addidit, si quis contra men-

tem adhibuisset ad veros ipsius animi motus, facta quoque, exclamari recte potuisse, ἐστὶν ἢ τῶν ἀειγιών. Quamvis enim summa arte celasset sua vitia, eruperant tamen illa nonnullis in rebus, & idem, qui Athenis fuerat, improbissimus scilicet, ac flagitiosissimus iuuenis, illic quoque esse Alcibiades intelligebatur. Huiusmodi tamen voces antiquorum Poëtarum, quæ sermone omnium postea celebrabantur, ac vim proverbiorum obtinebāt, distorqueri saepe, ac longè alio sensu, quàm quo primum editæ forent, pronuntiari solitas esse affirmari: quod multis huius ipsius authoris exemplis nullo negotio posset comprobari. Id autem huic ipsi loco me arbitrari evenisse, nec sanè durum videri debere, à corporis aspectu ad animi vim indicandam hoc Plutarchū transtulisse: ut quod ab authore de muliere prolatum fuerat, ipse iisdem verbis retentis manifestò viro accommodavit: quare me putare posse, hanc quoque tanti viri authoritate sustineri. Quòd verò statim Electra ipsam execratur, & in odium Deorum immortalium venire optat, ut principium maximorum

rum malorum & sibi ipsi, & fratri, & universæ Græciæ, videri quoque sententiam meam adiuuare. Specie enim corporis, non pravitate animi Helena tanta exitia parauerat: similemque locum hunc esse Homero illi, quum gravissimi senes, qui Priamo assidebant, laudata pulchritudine eiusdem mulieris, atque in celum testimonio suo sublata, intelligentes tamen, quanta incommoda ipsa Troianis hominibus intulisset: utile rebus suis esse dixerunt, ut illa eò, unde venerat, rediret, nec apud se diutius, futura semper ipsis, filijsque detrimento, maneret. Hæc mihi tunc, ut alia nonnulla huiusmodi occurrerunt, quibus sententiam meam comprobarem, ut sit, quum semel aliquis opinionem aliquam suam de aliqua re amare cœpit. Tuetur enim eam studiosè, atque omnia undique ad eam confirmandam rapit. Exposui tamen me nulla alia re tantopere fretum, ita asseuerare, quantum elegantis illius, ac necessarij sensus opportunitate: quam Causiciav si Poëta reliquisset, putarem non sine causa in hoc loco acumen ingenij ipsius desiderari potuisse. Ecce

autem postridie quidam ex ijs, qui me audiunt, ad me veniunt, & cum tabellis quidem, ut Cicero ait, obsignatis, qui docent, tibi longè aliter de hac re videri: afferuntq; epistolam quandam tuam versibus scriptam, in qua manifestò contra me stas. Cohorrui igitur subito, atq; animo concidi, postquam vidi mihi tecum rem futuram, quem nulla in re aduersarium me habiturum unquam putavi: & à cuius iudicio, si id scissem, nunquam discrepassem. Magna est autem auctoritas tua meritò apud hos: atque id & sua sponte faciunt, ut probent, atque admirentur doctrinam, & elegantiam ingenij tui, & meis etiam assiduis vocibus ad hoc incitantur. Quare quomodo me geram in hac re, non facile mecum statuere possum: atque id, quia veritatem huius rei non perspicio: neque enim metuerem opinionem meam condemnare, & palàm me in errore versatum confiteri. Decreui igitur te huius questionis iudicem sumere, atq; ita tibi omnem rem examinandam tradere: ut quum tu rursus, ipsa diligenter ponderatà, ostendas te in illa tua ve-

tere

tere sententia perdurare: pollicear prorsus me ita quoque firmiter crediturum: & omnia, quæ contrà facere videntur, argumenta nullius ponderis existimaturum. Vale, & me, quod iam pridem fecisti, ama. Florentià Idib. Decem. M. D. LVI.

Cum in superiori epistola Petri Victorij, & in ea, quæ sequitur Ioannis Casæ, cuiusdam ipsius Casæ carminis fiat mentio: visum est non alienum fore ab hoc loco, si carmen ipsum legendum omnibus proponeremus. Videbatur etenim posse hinc à lectoribus desiderari. Id autem eò libentiùs fecimus, quòd ipsum per se carmen omnium, quæ nostra ætate edita fuerint, grauissimum ac præclarissimum esse iudicauimus, tantòque prorsus viro dignum.

IO. CASÆ AD GALEATIUM
FLORIMONTEM.

Ut capta rediens Helena cum coniuge Troia
Lento homine, atq; animi lenis, nimiumq; remissi,
Incidit in cædem ipsam, & funus propè sororis, *legentibus*
Quam præceps miseri virtus iugularat Orestis,
Succisam de more comam missura sepulto
Germanæ cixeri, fertur dempsisse capillo
Vix tandem è summo paulum, ne fortè placeret.

Tonsa

Tonsa minùs metuens Spartanis improba mæ-
chis:

Haud aliter, Galatæe, malis erroribus actus
Nuper ego, & Phrygios nautas, Paridemq̄ se-
cucus

Aufugi longè: atque idem, redijt tamen vt mens
Ad sese, peregrè nimium remorata, proteruæ

Ornamenta fugæ sensim, lenteq̄ repono.
Parisi etenim refert, Venerisne cupidine, vt illa,
Incensus, pulchra vel saucius ambitione,

Tramite declinem recto, violemus pudorem.

Debueram dudum crinem secuisse decorum,

Hoc est, argentum, comites, & stragula, cœnas,

Lususq̄, & musas missas fecisse loquaces,

Intrepidus nuper, curatae mentis & acer

Corrector: sed enim prauus populi pudor obstat,

Hunc propter pauidi phalcris amicumur ineptis:

Nec sicci madidam audemus, veriti bene potum

Conuiuam vulgus, collo dempsisse coronam.

Dedecus ambitio pulchrum est, vitiumq̄ fauentis

Laudatum populi studio: I bone, quò tua virtus

Te vocat, i pede fausto, & nomen laudibus auge,

Aequa

Aequales aiunt, comitesq̄, pijq̄, propinqui:

Quòd si natura, aut ratio virtutis habendos

Germanas propriasq̄ notas euincat honores,

Publicè vt æs signant, extèplo vt noscere nūmus

Quanti quisque fiet, possis: per turbida ponti

Surramus rapidi maria, & gelidas properemus

Ipsa hyeme in media, tantum ad decus, ire per

alpes,

Obliti podagræ nervos vrentis, & artus.

Nunc prauos inter tituli discrimen inanes

Atq̄ bonos nullum signant. Sæpe & toga pectus

Candidius multò, & maius, pulla arctaq̄ texit,

Quàm laxi, Tirioq̄ infecti murice amictus.

Nam si legitimum nobis virtutis inurant

Fasces, & tituli signum, mercetur honores

Ipsa vel vita, informis ne prodeat, inq̄

Excusus, Priulusq̄ bonus, simplexq̄, Faernus,

Prudens, & veræ virtutis cultor vterque,

Vitrea quos nunquam titillat gloria, febris

Purgatos huius. Nos quanuis cesserit horror,

Atque æstus: sani nondum tamen vsq̄ valemus.

Sicq̄ animus positam reminiscitur ambitionem,

Vulnus

Vulnus vt obductum prurit tamen, hæret a sello
 Ut nudo clitellis nonnunquam vlcus in armo.
 Vos agite: aureolum tondete à vertice crinem
 Lasciuo huic capiti, atque domi cohibete seueri,
 Non Menelaus vti, erronem me tu, Priulusq;
 Utroque & melior Polus, (quod dicere vestra
 Pace mihi liceat) nitidaq; extrudite Roma,
 Restantem, vt duri mulam quandoque cerebri,
 Luctantem, triuio, atque equiri parere negantem,
 Sibilo agunt primum, & magnis clamoribus, inde
 Profiliunt longis armati fustibus: illa
 Nixa diu tandem plagis deterrita currit.

IO. CASA ARCHIEP. BENEVEN.

Petro Victorio S.

QUVM forte ad quotidianas occupatio-
 nes meas podagra accessisset sanè molesta:
 reddite, mi Victori, mihi sunt literæ tuæ. Eò fa-
 ctum est, vt seriùs ad eas tibi responderem,
 ad laudã quàm nostra summa coniunctio postulabat. Sed
 eas tamen literas eruditionis atque elegantia ple-
 nas, amore autem singulari illo in me tuo etiam
 redundantes, gratissimas, iucundissimasq; mihi
 accid

accidisse scito. Quòd enim vir omnium do-
 ctissimus, atque in iudicando acerrimus, pede-
 tentim, verecundeq; dissentire à nobis aggre-
 diebare, in re præsertim haud magni apud me
 ponderis: veterem tuam erga me beneuolentiam,
 amantissimiq; animi gratum obsequium agnosce-
 bam. Quòd autem Electra orationem alior-
 sum, atque ego, alijq; multi acceperamus, interpre-
 tabare: idq; stylo illo tuo subtili, atque presso, qua-
 lis eruditorum hominum sermo inter se de studijs
 literarũ disputantium esse debet, declarabas: in eo
 ingenij, doctrinaeq; & eloquentia tuæ vis, lumenq;
 mihi iam pridem cognitum elucebat. Verunta-
 men, quod ad me attinet, omni ego te molestia li-
 bero: siquidem in eo expeditissima mea ratio est.
 Nos enim Poëtarum more vti se res dederit, ita
 vel populi, vel eruditorũ hominũ sententiam no-
 stro quodam iure sequimur, atque aliàs si sit opus,
 aliter de eadem re dicimus. Quare, mi Victori,
 optimos adolescentes, mihiq; iure charissimos, qui
 apud te erudiuntur in literis, posthac, mea qui-
 dem causa, sententiam tuam ne celaueris: neque
 id

id amicitiae tribues, quod ab amicitia plurimum discrepat, ut expurgare iudicium nostrum non audeas. Atque adeo sic habeto, nihil mihi in literis tam planè esse exploratum atque comper- tum, quàm quod tu idem probes, atque confirmes: quanquam de his quidem Euripidis versibus nonnulla mihi in mentem veniebant, cur in pri- stina illa mea interpretatione propemodum per- seuerarem. Primò enim vix mihi verisimile fiebat, calamitosissima virgini, in tanto capitis sui, fratrisq; sui discrimine, otium ad contemplan- dam, ac prædicandam Helenæ pulchritudinem fuisse, præsertim quam odisset: quam etiam diris statim prosequeretur: cuiq; Deos iratos, atque in- fensos optaret: propterea quòd se fratremq; suum, totamq; Græciam euertisset. Nam ita Helenæ personam tractare Euripidem par fuit, ut Ele- ctæ personæ, quam in manibus habebat, ne obli- visceretur. Deinde Helenæ pulchritudinem, quæ nulla ei mulieri sua culpa obtigerat, indignè fe- rentem Electram facere, fortasse nihil attinuit: at lasciviam; & formæ, cultusq; importunum illud
studium

studium, in sororis cæde, & luctu, in domus, fami- liaq; ærumna, atque excidio reprehendere, ac de- testari: id verò cum Electra persona congruere, nisi te aliter arbitrari viderem, planè putassem. Nam quod ait Electra suæ huiusce orationis ini- tio, ad ingenium naturamq; referri, mihi aptius videbatur, quàm ad corpus, & pulchritudinem posse. Sic enim interpretamur: Quàm magnæ in- genij sunt, ac naturæ in utranque partem vires: ferimur enim natura alij ad perniciem, alij ad salutem, ut quique proclives ad virtutem, aut ad vitia sumus: pessum dedit ergo Helenam non for- ma, sed ingenium. Nam pulchritudo quidem multis sæpe malo, multis sæpe saluti fuit. Quod video idem præcepisse eos, qui de finibus bonorum disseruerunt: ut ea sententia, quam duobus his versibus complexus Euripides est, vix futura vera sit, si hoc sensisse illum defendimus: qui pulchri- tudinis compotes sint, salutare quiddam habere: at inuerecundum, impudicumq; animi ingenium qui possident, ijs ea res semper calamitati est, nun- quàm saluti. Helenæ quidem certè non pulchri-
b tudo

rudo profuit, sed ingenium obfuit. Id igitur mihi accusare videbatur infelix Electra, pannisq³ obsita, tordidaq³: Helenam inclinata iam etate meretricium animum illum pristinum retinere, quum fuge infamiam illam subiisset, propter quam in publicum etiam prodire, non audere ipsa se fateretur. Castissima scilicet puella vehementer indignatur, queriturq³, eam iam propè animum factam, ne malo quidem doctam, deterreri à lascivia, ac petulantia posse. Ipsum quoque verbum *Mulier*, nescio quid vituperationis præ se ferre visum olim mihi est, quum illud nescio quid versiculorum lusimus. est eadem, quæ solet: non Helena inquit, sed mulier. Illud etiam interdum suspicari mihi veniebat in mentem, si ad cutem tondisse Helenam capillum Euripides significaret, dicturum illum fuisse potius ἐν Χρῶ, aut ἐν Βάθει, quàm πᾶρ' ἀρπας Τριχῶς: quod video doctis nonnullis idem placere. Sed hæc tu melius scilicet, vel longè potius omnium optimè: nam nos quidem vehementer sanè occupati, non tam ut aliquid statueremus, quàm ut aliquid ad epistolam

lam tuam rescriberemus, cursim hæc ad te exaravimus. Quare ad illud redimus, quod initio scriptum à me est: pro sexcentis mihi authoritas, iudiciumq³ tuum rationibus semper erit: eaq³ mihi loci huius, aliorumq³ omnium interpretatio erit certissima, quam tibi maximè probatam esse intellexero. Vale XI. Cal. Febr. M. D. LVI.

PETRVS VICTORIVS IO. CASÆ
Archiep. Beneventano S.

QUæsiuisti olim ex me per literas, vir optime, & honestarum artium scientia instructissime: quid sentirem de initio illo librorum T. Lucretij: qui quum philosophus Epicureus sit, atque illi discipline totus addictus, quam tunc versibus explicare aggrediebatur: videtur tamen ilico contra decreta sua fecisse, quum oret Venerem, ut pacem ab amatore suo Romanis impetret: liberetq³ Remp. illis malis, quæ tunc ipsam vehementer perturbabant, quò equiore animo Memmius, ad quem opus mittebat, incumbere huic studio possit, solutus liberq³ omnibus illis curis. Quis enim nescit, Epicurum Deos immor-

b 2 taleis

taleis omni procuratione rerum humanarum li-
 uidam uerberasse, quietamq³, ac tranquillam vitam semper
Reposada ducere existimasse? Quum igitur hoc tibi nego-
 tium merito facefferet in fronte illius eruditi,
 summoq³ artificio confecti poematis (neque enim
 facile credendum erat, politum, diligentemq³ in
 primis Poëtam, illic proœmium, quod non cōueni-
 ret suæ doctrinae, affixisse) voluisti etiam ex me
 scire, quomodo nodum hunc dissolui posse puta-
 rem: non quia, ut opinor, quod tibi incognitum,
 molestumq³ foret, mihi perceptum, planumq³ esse
 existimares: neque enim tantopere te arbitror vi-
 reis ingenij tui, aut mei ignorare. Sed habet hoc
 animus noster, ut cognitione rerum alatur, ac si-
 quis nunquam scrupulus eum male habere cœ-
 perit: omni ratione ipsum euellere conetur, nec ul-
 lam viam non tentet illius molestiae depellenda.

*de la que non uij
difficil* Est autem quaestio hæc perobscura, ac difficilis in-
 primis, & quæ non indigna sit, in qua se docti vi-
 ri, & humanioribus literis dediti exerceant. Non
 multò autem ipse postquam tuas literas accepe-
 ram, quum accuratè priùs animo versassem, quo-
 modo

modo dignitas Poëtae defendi posset, & tam fœda
 macula è pulcherrimo eius corpore deleri: quid
 mihi in mentem venisset, pro tempore exposui.
 Quod sanè quum mihi non valde satisfaceret, in-
 telligeremq³ præclarè tibi quoque non nimis pro-
 bari: nunquam curam istam penitus dimisi, nec
 cessauì, quum legerem aliquid, quod ad discipli-
 nam illam faceret, videre diligenter, an aliquid
 reperirem, quo planum fieret, id, quod magnopere
 videretur dissentire inter se, mirificè conuenire.

Præter enim quàm quòd tibi omni in re inserui-
 re cupio, ardeoq³ cupiditate incredibili gerendi, ea
 qua grata, & accepta animo tuo esse intelligo:
 pascor & ipse huiuscemodi cogitationibus, nec
 aliam vllam non modo voluptatem his tempori-
 bus capio, sed ne inuenio quidem vbi leuiter ac-
 quiescam, animumq³ à multis, magnisq³ agritudi-
 nibus reficiam, nisi in studijs literarum. Quibus
 rebus accessit, quòd vnà cum erudito, & ingenioso
 iuvene, his proximis mensibus, diligenter Lucre-
 tium relegi. Quare coactus sum opiniones illas,
 sententiasq³ ipsius omnèis in animo meo renouare,
 b 3 librosq³

librosq; eos euoluere, in quibus aliquid, quod δόγματα ipsius illustret, continetur. Hanc enim vnam rationem esse certam puto, verè exploreteq; sensus illius Poëtæ percipiendi: inuestigare, inquam, decreta illius familiæ, quæ sparsa nunc multis locis, ac disseminata sunt, summoq; studio adhibito, ipsa è tenebris eruere. Quum igitur valde huic curæ intentus, accuratè legerem Plutarchi Cheronensis librum, quem scripsit aduersus Colotem Epicureū (valde enim hic grauiſſimus eruditissimusq; scriptor, quod tu minimè ignoras, in sensus fuit huic familiæ, opinionesq; ipsius omnes, ac facta sedulo semper labefactauit) repperi illic quiddam, breui prolatū, quod omnē hanc difficultatē tollit: docetq; Epicurum, quum voluisset Deos nihil habere nec sui, nec alieni negotij, sustulissetq; demum πρόνοιαν: eundem tamen reliquisse εὐχὰς, putasseq; preces, ac vota hominum de suis rebus à Dijs immortalibus exaudiri: necnon cæteras itidem rationes concessisse, quibus reliqui mortales Deos venerantur, & quæ demum εὐσεβείας nomine continentur. Quod quum alijs,

stante

stante illo, fieri non posse putarent, repugnareq; magnopere hæc inter se crederent: ille tamen non dissentanea esse arbitratur. Hoc autem Plutarchus in multis alijs ponit, quæ eodem vitio laborare credebantur, & ficta falsò, absurdaq; penitus ab Epicuro contexta existimabantur, ad ostendendam ipsius sententiarum contrarietatem. Nec tamen, quomodo hoc Epicurus defenderet, probaretq; superiori sententiæ congruere, aut Plutarchus indicauit, aut alibi me legisse memini. Quod mirum videri non debet, in tanta decretorum ipsius obscuritate, & cæterorum scriptorum, in recitandis ipsius sententijs, iniquitate. Nescio enim quomodo hic præter cæteros, cum probus & innocens homo, testimonio etiam aduersariorum fuerit, semper improbè exagitatus sit, & maledictis multis, quæ nullo modo in vitam eius cadunt, vexatus. Quannuis autem dissolutio hæc non omnino animum impleat: quod tamen satis est ad dignitatem Lucretij tuendam, tam turpiq; negligentia crimine ipsum liberandum, cumulatè facit. Neque enim nunc de veritate

huius rei disputatur, in controuersiamq³ venit, an potuerit Epicurus, quum Deos securam agere vitam voluerit, nec sua interesse putare, quid ab hominibus in vtranque partem fiat: recte, huicq³ sententiae congruenter, preces, vota³ relinquere: sed an Poëta non decreto hoc suo prodito, Venerem, vt auxilium sibi ferret orarit, precesq³ humanas, ad aureis Deorum immortalium peruenire posse putarit. Quod liquido perspicitur, iudicio huius loci, ipsum securum doctoris sui auctoritatem, summa ratione gessisse. Nam Cicero- nem etiam inconstantiam in sententijs Epicuri saepe reprehendisse notum est: protulisseq³ de illo aliquando, ipsum, quum multa praeclare saepe dicat, quam constanter sibi, conuenienterq³ dicat, nunquam laborasse. Exempla verò multorum Epicuri locorum, qui vt huic culpae affines, ab ob- trectoribus ipsius arguerentur & in natura ratione euoluenda, & in ijs, quae ad vitam mo- resq³ pertinent, explicandis: & apud Ciceronem ipsum leguntur, & in illo ipso Plutarchi opere inueniuntur: quae nunc commemorare, patefacto

eo,

eo, quod quærebamus, necesse esse non puto. Ma- gno igitur tu consilio vsus, semper bene de iudicio Poëta existimasti, nec quicquam ab eo commis- sum esse, quod non sua rationi consonum foret, eo loco credidisti. Volui verò ipse, quicquid seduli- tate mea indagassem, tibi subito significare, vt me mandatorum tuorum memorem esse intelligeres: quamuis sciam te nunc multò grauioribus curis distineri, quam, quum animi causâ huiusmodi lectiuunculis Poëtarum aliquas horas diei magno in otio consumebas: nec unquam ita Lucretium amasse compertum habeam, vt sententijs ipsius delectare: es enim omni eleganti doctrina ex- politus, & acutiorem multò Peripateticorum di- sciplinam, Platonisq³ reconditos fonteis hausisti. Sed lepos Latini sermonis, facundiaq³ admirabilis illius Poëtae, in eo te quandoque tenuit aliquan- tum. Qui si foelicior fuisset in argumento deli- gendo: & magis dignus Poëta nomine extitisset, & longo interuallo reliquos, qui maxime laudati Poëtae sunt, plurimorum iudicio vicisset. Nam, quin hoc pacto poemata ipsius multis luminibus

b 5 ingenij

ingenij referta futura fuerint. (quod aliquando non sine causa, ob materiam, quam sumpsit, minime Poëticis ornamentis recipiendis aptam, in ipso desideratum est) dubitare non possumus. Vale. & me, ut semper fecisti, ama, ignosceq³ huic meae loquacitati.

GASPAR CARDINALIS CON-
tarenus Ioanni Sepuluedæ S. D.

Accepi opusculum tuum de ratione anni, simul cum epistola mihi scripta plena singularis cuiusdam erga me benevolentiae & eximiae humanitatis: quandoquidem serio iudicium meum de tuo hoc opere requiris, nec ludis, ut plerique nostra hac aetate facere consueverunt, qui post libros publicatos & editos laudari potius volunt, quam fidum consilium habere. Quam ob rem meas partes esse duxi (quanuis parum peritus, ac propterea minus idoneus sim afferre iudicium de operibus præclarorum hominum, qualem te esse omnes nouerunt) si non doctum, saltem tibi fidum me amicum præstare. Mihi visum est opusculum tuum hoc multis in partibus illustre.

illustre. Ea quoque, quæ in calce dicis de Aera, mihi valde verisimilia visa sunt, ac diligenter notata: causa etiam illa prior, cur annus noster euariet, verissima est, & quam nullus negare queat. Altera verò, quam addis, ac miraris præteritam esse ab alijs, non mihi videtur satis constans. Ego olim sæpenumero dubitavi hoc in loco, in quo video te hærerere, cur scilicet annus, cum à Bruma sumat initium, non etiam cœperit à die Brumæ, sed octaua post Brumam die, iam à temporibus Augusti. Rebar ego id, quod tu reris, erratum fuisse nescio qua ratione: nec tamen conijcere poteram, quæ fuisset errandi causa. Post nonnullos annos tandem deprehendi id, quod Forosempronienſis Episcopus Astrologiæ peritissimus mihi illustre fecit. Iulius Cæsar, Genesi, in anno constituendo habuit rationem solis, in mensibus verò putauit habendam rationem Luna, à qua etiam dicti sunt menses: aureumq³ numerum XIX. annorum collocandum putauit in mensibus sui anni. Iccirco post Brumam, nouam Lunam expectauit, à qua primum mensem inchoaret,

ret, quæ fuit octaua die post Brumam. Sicq̄ in
suis fastis constituit aureum numerum, vnum
inquam, post xx. dies Ianuarij ad diem prid.
Cal. Februar. Sicq̄ secundum aureum numerũ,
vnum, inquam, post xxix. dies mense imperfe-
cto, seu VIII. Cal. scilicet Martij. Hæc ergo ratio
fuit, cur Calendæ Ianuarij fuerint protractæ octo
diebus post Brumam. Tuum erit iudicium. Ego
cum Forosempronienſi Episcopo sentio hac in re.
Id verò, quod affers de anno corrigendo, vt scilicet
statim ac simul tot diebus annũ vnũ minorem fa-
ciamus, quot errauimus, cum non vulgaris turba-
tio tum fastorum, tum negotiorum videri possit,
si id fiat: minùs mihi probatur, quàm si dimissa
diei intercalatione totidem annis, quot sufficiant
sarcieendis diebus illis, quibus anteuertimus, sensim
ratio anni vel instituta à Iulio Cesare, vel quæ
extabat Niceni concilij tempore restituatur, mul-
tò minore turbatione hoc pacto (vt reor) res tota
processura est. Verùm non ita tueor sententiam
meam hanc, quin facile sim concessurus tuæ. Hæc
notanda visa sunt in tuo præclaro hoc opere. Tu
pro

pro singulari tua eruditione rectiùs omnia iudi-
cabis & statues. Vale. Romæ VII. Cal. Maij.

Anno M. D. XXXIX.

GASPAR CARDINALIS CON-
tarenus Io. Genesio Sepuluedæ S. D.

Nullo pacto tibi persuadeas velim, Sepulueda
doctissime, vlla negligētia, aut obliuione tui
factum esse, vt tandiu respondere distulerim tuis
litteris amoris & officij erga me plenis. Verùm
cum nonnulli amici mei, tui nominis studiosi à
me legendas petijssent, atque habuissent, eisq̄ per
manus traditas, cum mihi redditas esse arbitra-
rer, sedulo inter meas schedas inquirens, nusquam
reperissem: ea in re dum ego & mei diligentiam
adhiberemus, demum ad hanc diem res est pro-
tracta, nec tamen litera inuenta. Quamobrem
dixi non ampliùs mihi differendum esse: ne, dum
vellem officiosus esse, & singulis earum partibus
respondere, tibi iure videri possem parum officio
satisfaciens. Legi igitur & Galeni locum in pri-
mo Epidemiarum, quem citas, & Ouidij in pri-
mo Fastorum. In Græco codice Galeni res est ma-
gis

gis expressa, quàm in Latino : ibi enim Februarius δεύτερος μετὰ τὰς χειμερινὰς ἡμέρας mensis dictus est, & Ianuarius, primus : ubi planè videre poteris, nostræ sententiæ locum illum nihil obstare. Etenim nos quoque putamus, prima post Brumã Luna fuisse Calend. Ianuarij. In Ouidij verò versu, quòd Sol novus, et annus novus eat Calend. Ianuar. non fuisse servatum exactum illud quod Græci dicunt, ut scilicet propterea velimus eam fuisse diem Brumæ, cum Sol Capricornum attingit, perspicuum ostendit author idem inferius, qui scribit secundo post Carmentalia die, XVI. scilicet Cal. Februar. ingressum Solis in Aquarium, qui utique esse nulla ratione posset, si ipsis Cal. Sol primùm attigisset Capricornum. Columella gravis author, qui floruit tēpore Augusti non multò post Iulium Cæsarem libro IX. De re rustica cap. xiiij. inquit, ab occasu Vergiliarum Brumam, quæ ferè conficitur circa VIIII. Cal. Ianuar. in octava parte Capricorni condito melle utuntur examina. Dicit octava parte Capricorni octavæ spheræ, quæ processerat Orientem

vers

versus. Libro XI. eiusdem operis, cap. altero, versus finem, idem dicit iuxta observationem Caldaorum, licet in codice impresso sit scriptum XI. Calend. Ian. Brumam esse : quem locum puto legendum VIIII. Calend. Verùm utro modo legatur, nihil refert, constat Brumam fuisse, ante Calend. Ian. Plin. lib. XVIII. cap. xxxv. de quatuor cardinibus anni loquens, cum dixisset fieri illos in octavis partibus signorum ea de causa, quam supra tetigimus, subdit, Bruma Capricorni octava scilicet parte ab VIIII. Cal. Ian. Mihi certè loci hi, præter ea quæ priori epistola ad te scripsi, magnopere persuadent, Iulium Cæsarem non inchoasse annum à Bruma, sed à prima Luna post Brumam. Potes tu, & peritiores melius totam hanc rem dijudicare. Forosempronienſis Episcopus non citat authorem quempiã antiquum. Hæc pro iure amicitia nostræ volui tibi asserre, ut tota causa diligenter perspecta, statuas quid tibi sit sentiendum, & agendum de opusculo illo tuo eruditionis pleno, quo me honestare (quæ tua est humanitas) voluisti. Nos bene valemus ac tibi

omnia

omnia bona optamus. Vale. Non. Februar.
M. D. XL.

IOANN. GENESIVS SEPVL-

ueda Gaspari Contareno S. R. E. Cardi-
nali amplissimo S. P. D.

Quòd tam longum fuerit mearum literarum interuallum, & de quaestione corrigendi anni silentium, mallet equidem aliqua mea desidia, vel obliuione commissum fuisset, & in eo culpam agnoscere, & deprecari, quam ex vestra, hoc est, sacerdotum Romanorum (vt libere loquar) negligentia, veram causam asserre, quos nimirum frigere, & nihil minus quam de cogendo concilio cogitare video: cuius vt spes me prius acuebat & incitabat, sic desperatio iam prius demebet, atque retardat. Quos enim maxime in publicam Ecclesiae salutem excubare, atque eius dignitatis augenda nullam occasionem pretermittere oportebat, ab ijs Concilij rei salutaris, & si vnquam aliàs, nunc maxime necessaria mentionem fieri non alio tempore video, quam
cum

cum bellum aut geritur inter Principes Christianos, aut impendet: ad summam cum certa spes est horum discordiam impediri posse. Nam cum pax redijt, & firma concordia, de nulla re maius est silentium: vt quid intempestiuus edictis alieno tempore captent, neminem, quamlibet tardum ad intelligendum, dubitare patiantur. Sed quoniam in tanta multorum desidia, tua mihi singularis reipub. cura explorata est, & studium boni publici perspectum, redibo ad quaestionem de ratione mensium & anni, quam, ad te misso libello, complexus sum: respondeboq; ad ea, quae obstare meae sententiae tibi visa esse, proximis literis scripsisti, vel hoc ipso nauaturus operam, quòd tecum viro doctissimo, religionis Antistite grauissimo, de rebus honestissimis, & ad bonum publicum pertinentibus tantisper colloquar. Scio (quod scribis, & admones) traditum esse tum à Columella, tum à Plinio brumale Solstitium, in octaua parte Capricorni confici ad octauum Cal. Ianuar. Sed illud non ignoro, quod te quoque, meminisse oportet, hac eos non à Iulio Cesare, aut
c Iulia

Juliano Sofigene sumpsisse, sed, ut ipse Columella declarat, ab Eudoxo, & Metone veteribus astrologis, hoc est, à Grecis authoribus, apud quos diversa ratio erat tum anni, quem à Solstitio æstivo inchoabant, tum mensium, quos ad Lunæ motum accommodabant: ut hi, sine magno errore, & inconstantia, ad Romanorum Cæsarisq; mensis interpretando referri nequaquam possint. Unde Ovidij quoque manavit inconstantia, qui planè testatur (id quod erat consuetudine Romanorum indubitatum) initium anni sumi à Solstitio brumali, & ut par erat, Calend. Ianua. in cuius mensis principio, de fastis scribens, cum hæc traderet, versabatur, paulò post ad Græcorum observationes redit, de transitu Solis in Sagittarium XVI. Calend. Februar. In quo, ut Columella docet, secutus est Hipparchum: cui placuisse refert, Solstitia, & Aequinoctia non in octavis, ut Eudoxo, & Metoni, sed in primis partibus signorum confici, & brumale Solstitium in XVI. Calend. Ianuar. incidere: tanta Græcorum varietas est, atque dissensio. Hæc cum ita sint, video tamen

diffic

difficile factu fuisse, septem illos dies Brumæ, & Cal. Ianuar. interiectos publico mortalium errore, latenter obrepisse. Itaque admonitu tuo re diligentius, & accuratius inspecta, venit mihi in mentem suspicari, id quod ipse initio tibi placere conscripseras, Iulium Cæsarem, vel potius Sofigenem, principium anno Solstitium brumale fecisse, Ianuario verò novam Lunam, quæ proximè secuta est, octavo scilicet post die, idq; non ob eam causam, quam ipse priore tua epistola, auctore Forosempronienſi Episcopo proposueras, quòd Cæsari oportere visum fuerit, ut mensium initium ad motum Lunæ, unde scilicet nomen acceperunt, accommodaret, quemadmodum anni ad Solis circumactum. Hæc enim causa, quod ad mensis attinet, inanis prorsus (quod pace Forosempronienſis Episcopi dixerim) mihi semper visa est, & ab instituto Cæsaris abhorre: qui varietatem superioris rationis & inconstantiam pertesus, quæ in mensibus constituendis Lunæ cursum sequebatur, ut annum, item mensis ad Solis motum referri voluit: ut annus intelligatur, spa-

tium temporis, quo Sol totum signiferum peruagatur, mensis verò, vnius signi Solis eiusdem peragratio. Non igitur hanc causam, quæ nulla est, secutus Cæsar esse, vel Sosigenes videri potest, sed illam, quam solam mihi venit in mentem suspicari, quòd tum ad Fastorum sibi conficiendam rationem accommodatus, tum inueteratæ sacrificiorum consuetudini convenientius visum est (Cæsari, à noua Luna Ianuarium mensem inchoari, saltem eo anno, vnde XIX. annorum circuli ab ipso traditi, principium sumendum ac repetendum erat. Cui consuetudini quantopere soleant authores interdum seruire, docet Columella, qui libro De re rustica IX. cum Hipparchi sententiam Solstitia & Aequinoctia in primis signorum partibus confici docentis probaret: se tamen profiteretur, iccirco Fastos Eudoxi atque Metonis vetustiorum Astrologorum in octauis tradentium sequi, quòd hi publicis sacrificijs essent aptati, & notior illa vetus agricolis concepta opinio. Itaque Cæsari vel maxime fuit optandum, vt Luna cum Sole congressus eo anno in brumale

male Solstitium incideret, ne scilicet quæ natura indiscreta sunt, distraherentur, vtq; annus naturalis, & civilis, eiusq; primus mensis ab eodem principio repeterentur. Sed aliter cadente, non putauit prorsus sibi esse à more maiorum, & sacrificiorum temporibus recedendum. Erat enim vetus Romanorum consuetudo (vt satis me puto in meo libello, Ouidio, Simplicio, & alijs bonis authoribus docuisse) vt à brumali Solstitio annum inchoarent, primum verò mensem, hoc est, Ianuarium, à noua Luna, quæ proximè Brumã sequeretur: Februarium, à secunda, & cæteros eodem modo: vt Hebræi mensem primum à noua Luna post Aequinoctium vernum, quod eis erat initium anni, & Athenienses à noua Luna post Solstitium æstiuum, vnde principium anni capiebant: quo fieri necesse erat, etiam in maxima sacerdotum fide ac diligentia, vt non semper in octauum post Brumam diem, aut alio certo numero (calendæ Ianuarij, sed plerunque citius, aut tardius pro varietate temporis Lunæ silentis inciderent. Cùm igitur accidisset eo anno, quo noua

ratio est à Cesare instituta, ut VIII. post Brumam die esset nova Luna: quo die superiore consuetudine Ianuarius hoc anno erat inchoandus: itidem sibi Caesar faciendum ob eam, quam dixi, causam putavit, quæ ut illi Pontifici Maximo propter vanæ religionis iam abolitos fastos gravis est visa, sic apud nostræ religionis antistites, nullius debet esse ponderis, cum nihil faciat ad Christianorum fastos: aut si quid facit, leue incommodum maxima commoditate pensetur: ut obstare non debeat, quò minus in correctione anni, (calendæ Ianuarij, ad anni naturale principium, & diem Christi natalem, & hac omnia ad brumale Solstitium reuocentur, plana, luculenta, & plena dignitatis ratione inira: quæ nec à summa veteris Romanorū instituti abhorreat, & sit pie Christianorum consuetudini à natali Christi, quem natum constat in ipsa Bruma, caput anni repetentium aptissima, sublata quorundam errorum occasione. De quo quid sentias, erit humanitatis tuæ, & mihi gratissimum, ut rescribas. Nam si tibi probabileis causas, cur illud die-

rum

rum, ex quacunque, certè parum, aut nihil ad nos pertinente causa interiectorum interuallum, multifariam importunum tolli debeat, attulisse videbor: poterit fortasse non inutiliter libellus edi, paucis mutatis de spatij temporis interiecti causa, de qua nobis fuit adhuc, nec erit amplius dissensio. Sequar enim te quòcumque duxeris, hac in partè, modo ipse mihi in summa causæ ne refrageris. Vale.

IO. GENESIVS SEPVLVEDA

Fernando Pinciano S. P. D.

Pliniane tuæ castigationes tantopere mihi probantur, ut non possim non vehementer Plinio, tibiq; simul gratulari: illi, quòd innumerabilibus quasi vulneribus per indoctorum hominum iniuriam iam pridem confossus, tua opera, qua parte hucusque curandum eum suscepisti, penè ad sanitatem perductus mihi esse videtur, qui multis ante, & quibusdam magni nominis medicis adhibitis parum profecerat: tibi, quòd ingenij atque doctrinæ magnum fructum laudemq;

c 4 demq;

demq̄ tulisti, addo etiam industria & officij, quibus non desinis rem communem literariamq̄ cum egregia tua laude iuuare. Quamobrem te, mi Pinciane, hortor, & pro iure veteris nostrae amicitiae moneo & obtestor, ut, quod in praefatione polliceris, opus inchoatum urgeas, ad finemq̄ perducas, ἐν καρπῷ γένῃ εἰσέρχεται μοι τὸ ἔποίησάντος ἐπιθεῖν. Βάλλ' ἔτιως ἀκέν τι φόως ἰβήρσι γένῃαι, nec patiaris tantam & tuae gloriae, & publicae utilitatis occasionem cum magno doctorum hominum desiderio perire. Αλλὰ τί σε σπεύδοντα ἔαυτὸν ὀτρύνω; ut Agamemnon Teucrum illum sua sponte ad gloriam properantem, qui ceteros etiam doctos viros tum clara voce, tum magno exemplo ad istam industriam emulandam adhortaris. Αλλ' ἔτι πάντεσσι θεοὶ χαρίευντα διδῶσι, nec omnibus paria tuis suppetunt vel doctrinae & ingenij, vel probatae fidei, & veterum codicum adiumenta. Quod verò ad me attinet, quem tu pro tua benevolentia & humanitate aliquid in literis esse putare, & certè predicare soles, non solùm earum de quibus modo

modo dixi rerum inopia, sed multa etiam & necessaria, quibus obruor, impedimenta excusare possunt. Caterùm ne tibi publici boni causa laborem planè Herculeum obeunti nulli vsui, prorsusq̄ tanto in opere cessator fuisse videar: non desinam si quis in hoc opere dignus vindice nodus inciderit, ut Horatius ait, te velut Pythium Apollinem consulere: hoc est, te admonere, ac velut sagacissimum coniectorem adhibere, cùm in locum incidero difficilem mihi, & inextricabilem, ut me admonente, accuratiùs impedita illa ipsa loca dispicias expediasq̄: & dum mihi fers herenti opem, eadem opera ceteris tardioribus, meiq̄ similibus consulas: quale illud est, quod nuper offendi, dum roboris naturam cognoscere cupiens Plinium consulerem in historia Naturali. Nam cùm hybernorum causa in fines Cordubenses patriamq̄ Beturiam, quae finitima est Hispaniae Tarraconēsi, quaeq̄ Petroche nunc ex petrarum frequentia magna ex parte nominatur, inq̄ Putalbanū municipium annua consuetudine secedam, penè factus sum agricola, cuius studium

dium mihi videtur proximè ad Philosophiam accedere. Itaque latum fundum sepiendum ac vitibus plurimum, sed multis varij generis frugiferis arboribus permistis conferendum curavi: cuius rei causa conficiendis cupis, roboris materiam circa Brumam Luna decrescente, ex praeceptis Philosophorum cadendum mandaveram, ut optimum vinum & Hispaniae nobilissimis (crede mihi anno superiore cum multis experto) comparandum, in cupas optimas condere- tur: quales esse dicuntur ex roboris materia: hanc enim abieti, & larici ceterisque cognatis arboribus, quas nostri (ut video) vno Pinus nomine vocant, longo intervallo praeferunt. Roboris igitur naturam cognoscendi gratia, Plinij locum mihi paulò accuratius legenti, occurrit perdifficilis salebra, quam maxime velim abs te mihi expediri. Nam libro XVI. cum de glande disseruisset, omnesque glandiferas arbores nominatum proposuisset, ut idem faceret de galla. Quae glandem, inquit, ferunt, omnes & gallam, alternisque annis glandem. Nam glandiferas omnes arbores,

gallam

gallam quoque ferre, planè translaticium est. Illicis enim, quam Graeci πρινον vocant, genus utrunque glandem ferre & Theophrastus docet, & Plinius, dum quidem stirpium persequitur historiam, illius penè interpres fatetur. At quis unquam probatorum authorum meminit illicis gallae, quisve hominum in ilice arbore notissima, & passim proveniente, gallam vidit? Cuius arboris, ut nosti, Plinius duo genera facit, alterum, quod fert puniceum coccum, & communi duntaxat ὀπλινῶν illicisque vocabulo à Graecis, Latinisque notatur. À nostris enim coscogia, à quisquilio scilicet corrupto vocabulo nominatur. Alterum, quod folijs speciem oliuae praefert, Aquifolia Latine nominata. Nam Graecè varia per nationes nomina sortita est authore Theophrasto. Arcades enim tum σμίλακα, tum Φελόδρην, Dores αἰγίαν appellant, nostri homines Enzianam dicunt, magno quorundam errore, qui quercum Latine huic nostrati vocabulo respondere tradidere, & ut video, plerisque persuaserunt. Quercus enim quae Graecè tum ἰμῆρις dicitur, tum μύδιον,

μύδιον, genus est roboris, & folium amittit, Theophrasti ac Plinij testimonio, quod huic alteri abest. Cum igitur ilex utraque glandem, neutra gallam ferat, quid venit in mentem Plinio, glandiferas omnes arbores gallam quoque ferre asserere? an quia fructus ilicis non tantam βάλανον, hoc est, glandem, quam ἀκυλον nominari, ijdem authore Homero prodiderunt? At interdum Theophrastus βάλανον, & βαλανόδη καρπὸν; & Plinius saepe, & quidem eodem loco ilicis glandem appellat, quam propriè intelligi declarat his verbis: Glandem, inquit, quæ propriè intelligitur, ferunt robur, quercus, aesculus, cerrus, ilex, suber. Tuum igitur erit exemplaria vetusta consulere, quæ si cum cæteris congruunt, nodus hic ipso Gordiano cæcior, & inexplicabilior mihi quidem esse videtur, quem nisi tu mihi pro tua solertia & sagacitate expedieris, certum est Alexandrum authorem adhibere, & quem soluere non possum, abscindere. Quod ita demum fiet, si Plinium hoc in loco, quod bonus Homerus interdum facere proverbio vetere memoratur, dormi-

tasse

tasse dicemus: cuius oscitantis negligentia si quid tale Plinio cætera magno & vigilantissimo authori accidit: occasio nō aliunde nata esse videtur, quàm ex Theophrasti verbis, ex tertio de stirpibus libro. Quo in loco cum de quinque generibus roboris differuisset, & eorum differentias cum ex alijs rebus, tum ex glandibus explicuisset: hæc verba subiecit, κικίδας δὲ πέντα φέρεται γένη; quod de roboris duntaxat generibus à Theophrasto dictum, Plinius errore, ut suspicor, inductus, transtulit ad omnia glandiferarum arborum genera, qui ut omnia ferè superiora penè ad verbum, ordine tamen nonnihil immutato, Latine reddiderat: sic cum his, quæ modo scripsi, continenter est persecutus subiecta illa & coherentia verba Μόνα δὲ εἰς τὰ δέρματα χρησίμη ἡμερὶς ἢ δὲ τῷ αἰγίλοπος & τῷ πλατυφύλλῃ τῆ μὲν ὄφει παρομοία, τῆ δὲ τῷ ἡμερίδος πλὴν λειότερα, ἀχρείος δὲ ἐπὶ ἑτέραν πλὴν μέλαιναν ἢ τὰ ἔρια βάλανισσι. Quæ postrema verba declarant, in codicibus Plinianis vulgaris in fine huius capituli, verbum Lanis desiderari, ut sit

scri

scribendum, hac tingendis lanis utilior. Sed nec illud satis expedire possum, quod idem Plinius in Hispaniae descriptione tradit libro III. Tarraconensis inquit, Solorio monte, Oretanis iugis, Carpetanisq; & Asturum, à Betica, atque Lusitania distinguitur, nisi forte mendum inest librariorum, qui pro Vettonum, Asturum supposuerunt. Nam post Carpetana iuga, quae Tagus interfluit, Vettonum montes, quorum sunt fauces Balneorum dicta, iuxta Caparam & Placentiam in Durium amnem porriguntur. Asturum verò montes ante Durium esse nequeunt, authore Plinio, nec constanter ab eo possunt ad Lusitania & Tarraconensis distinctionem accommodari. Si pro Asturum Vettonum reponeretur nihil esset offensionis. Vettones enim Plinio & Strabone authoribus, non Vergaones, ut corruptè vulgò legitur in exemplaribus Ptolemai, nuncupantur populi, quos dixi montes ultra citraq; accolentes: quorum iuga cum Lusitania à Tarraconensi distinguant, non dubium est, quin veterè & commodiore Hispaniarum partitione,

titione, quam sequitur Plinius, Salmantica & cetera oppida citra horum montium iuga, quae Lusitaniae Ptolemaeus adscribit, Tarraconensi potius annumerentur, ut Batice tota Baturia Turdulorum, licet eius partem attingentem Oretana iuga, ratio Ptolemai interiecta linea, transferat ad Tarraconensem. Nam illud ex quarto libro capite xx. te non leuius, ut video, quam me offendit, ubi de saltu Pyrenaeo verba faciens, Immensum, inquit, quantum hinc Oceano, illinc Iberico mari comprimentibus. Cui tu commodius fortassis ita mederis, ut pro quantum Cuneata reponas. Mihi si pro Immensum, Immissum reponeretur: planus rectusq; sensus fore videbatur, in hunc modum & intelligentiam, Immissum montem, quantum hinc Oceano, tantum illinc Iberico mari comprimentibus. Immittitur enim Pyrenaeus in utrunque mare duobus apposis promontorijs, & ad immensum facilis est lapsus ab immissio. Quo vocabulo Nela utitur in eundem sensum de Hispania, atque eodem Pyrenaeo saltu differens his verbis, Donec per omnem

provinciam longo limite immissus. Et in Asia descriptione, Pelagus, inquit, quod inter ambas immissum est. Sequitur in eodem loco. Ipsa, inquit, Pyrenæi iuga ab exortu Aequinoctiali ad Occasum brumalem fusa. Quæ oratio te tantopere offendit, ut in diuersum commutandum putes. Cæterum haud scio, an nihil ea verborum inuersione proficiamus: quanquam locum impeditum esse fateor, & mihi suspectum. (ui expediendo Mathematicorum præceptum adhibere oportet, qui ad vrbes, aut provincias, cuiusvis denique loci parteis pro discriminibus cælestium regionum distinguendum, primum omnium certum aliquem locum constituere iubent, quò ratio tota referatur. Nam si quis diuersa & disiuncta loca respiciat, licebit huic eundem montem, aut urbem à diuersi cæli plagis sitam esse memorare. Ita cum nullus locus huic rei accommodatior sit, quam medius, hunc auctores quasi centrum, in huiusmodi rationibus constituere solent, unde lineæ ad diuersas cæli parteis deducantur: quam consuetudinem ut cæteris in regionibus, sic in Hispania tenuisse

tenuisse Plinium certum habeo. Cum ergo in Hispania descriptione, Plinius Pyrenæi iuga ab ortu Aequinoctiali proficisci tradit: quid aliud intelligi oportet, quam huius saltus initium reperi ab ea parte, qua linea transit à medio Hispania in ortum Solis Aequinoctialem producta? Quam rationem secutus Ptolemæus hoc Hispania latus æstiuum ortum spectare dicit, dum medij lateris non extremorum rationem habet. Nam quòd in eiusdem Hispania descriptione libro tertio de Bæturia laboras, consentientibus exemplaribus, vide ne cum Plinius Beturiam tradit in duas parteis esse diuisam, duas esse Bæturias innuat, alteram Celticorum, Turdulorum alteram, ut Hispaniam quidam bipartitam esse aiunt, alij duas Hispanias dicunt, Citeriorem, & Ulteriorem. Quod si ita est (ut esse videtur) non est quòd culpam librariorum incusemus: atque eò minus, quòd oppida quæ postremò memorantur sunt haud dubiè in ea, quam Turdulorum Beturiam dixerat, Lusitania & Tarraconensi finitima: ut Mirobriga in cuius vestigijs duo lapides reperi sunt,

d quorum

quorum ego inscriptiones legi, oppidum illud Mi-
robregensium fuisse declarantes, non longè ab eo,
quod Capillam nunc appellant, in finibus Comi-
tatus Bellalcazarenfis. Vale.

I O. G E N E S I V S S E P V L V E D A


Fernando Pinciano S. P. D.

EGo te Pinciane, pro iure nostræ amicitia
superioribus diebus admonui, ut tuarum in
Plinium observationū locum illum qui saltus Pi-
renæi situm attingit diligentius recognosceres: per-
strictis causis cur verborum mutatio, qua tu vul-
neri medendum putabas, mihi non satis probare-
tur. Tu tamen, ut video, nondum scilicet inuen-
tionis, qua tibi magnopere placueras, amore refri-
gerato, ut ex Villaficci literis, deinde ex scriptis
tuis cognoui, non solum in sententia perstas, sed
meam admonitionē velut inanem & ab Astro-
logia exigua fortassis cognitione profectam asper-
naris, nec audiendum putas. Ego quantum ope-
ris in Astrologicis. Theorematis adolescens po-
suerim, referre nihil attinet: sed quoniam ἐπι-
θετικῶς

θετικῶς

θετικῶς οἶμαι χρῆσθαι τὸς φίλους vel te au-
thore, quod exploratum habeo, te non celabo. Illud
igitur dico, te Plinij verbis contra fidem omnium
exemplarium, periculoso exemplo, & à magno-
rum tuiq; similium virorum consuetudine mul-
tūm abhorrente, inuertendis, non solum nihil in-
genioso isto commento proficere, sed in falsum sen-
sum, & quem tueri nulla ratione possis, orationem
repugnantem detorquere, & quæ constare nullo
modo possit, nisi Pyrenæis montibus, quos ipse ab
ortu brumali ad occasum æquinoctialem ducis, è
regione Dianij inter Toletum & Cordubam,
Ulyssipponem versus deductis. Hispania enim, ut
cūm ceteri Geographi, tum omnium diligentissi-
mus Claudius Ptolemæus testatur, sic locata est,
ut ab ortu æstiuo mediam Pyrenæi saltus par-
tem spectet, à brumali verò insulas Baleareis.
Quoniam igitur vna parte constituta, constitutæ
sunt omnes, describatur circulus vetusta mathe-
maticorum ratione, cuius centrum sit in media
Hispania, ducaturq; meridiana linea, & item
altera transfuersa, quæ secet hanc ad angulos
d 2 rectos,

rectos, & duæ præterea per idem centrum inter illas paribus intervallis decussatim in hunc modum.



Hæc figura Aristoteli μετεωρολογικῶν secundo, & Plinio libro Historiæ naturalis XVIII, & Vitruvio libro de Architectura primo ortus & occasus æquinoctiales & solstitiales in quaque regione indicat. Duc igitur lineam, quæ Pyrenaicum signet, ab ortu brumali in occasum æquinoctialem: & cum omnia paulò diligentius considera-
ueris,

ueris, quàm rectè Plinij verba commutaueris non poteris ignorare: simulq; cognosces, si quid mutandum est in Plinio, ut omnino esse videtur, pro occasu brumali occasum æstiuum esse reponendum, in verum & commodum intellectum. Hunc enim esse montis situm exploratum nobis & perspectum est. Nam quòd Ptolemæus Pyrenaicum esse tradit ab ortu æstiuo: dum mediæ rationem ducit, non discrepat à Plinio, qui de initio montis ab Austro sumpto memorat. Illud igitur pro iure nostræ amicitie te hortor, & moneo, ut in alienis scriptis castigandis tēperantius agas: nec authoris verba sine certissima ratione præter omnium exemplarium fidem inuerrere, aut quoquomodo mutare animus inducas. Hoc enim periculosum habetur. At illud non cuius in promptu est, nec caret egregia iudicij, & eruditionis laude, dissentientibus exemplaribus, veram & germanam lectionem asserere. Nec id, quod veteres magnos viros factitasse constat, existimationem minuire solet, non antè libros emittere, quàm fuerint doctorum amicorum iudicio probati. Hoc certè Plinius,
d 3 nium,

nium, hoc Ciceronem fecisse legimus, nec erat alia honesta causa convocatis amicis, quod olim passim fiebat, recitandi. Ego verò non solum doctissimos, si quos nactus sum, sed etiam semidoctos adhibere soleo. Nam πολλάκι τοὶ ἔμωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον ἔστωε, ἔχ' ὅπως οἱ τὰ μέτρια πεπωδωμένοι ἄνδρες: & ut virtus in quosq; colenda est, sic veritas à quovis accipienda, gratiaq; agenda. Quid igitur sentiam, quid probare, quid vicissim damnare soleam, exposui: quæ si tibi non probabuntur, erit tamen humanitatis tuæ cuncta in bonam partem accipere, & ab optimo, fido, amicissimoq; animo profecta esse existimare. ἀφελῶς γὰρ ἔ φίλως, εὖ ἴσθι, ὅτι ὅλως δὲ καὶ φιλόσοφον ἔγραψα πάντα. Vale.

I O. GENESIVS SEPVLVEDA

Fernando Pinciano S. P. D.

Quoniam contentiones literarias etiam ab amicorū consuetudine submovendas censes, & recte senses, ne, quod interdū efficitur, coniunctorum animorū alienationem pariant: faciã quod præci

præcipis: & tibi, quem propter ingentem tuam doctrinam, singularem humanitatem, & suavissimos mores iam inde ab ineunte mea ætate colo & observo, morem geram: quanquam ego quod scripsi, non ut tecum certarem, mihi crede, scripsi, sed ut te admonerem, ineptè fortassis, optimo tamen & amicissimo animo. Quod meum factum quando ipse, ut video, aliorum accepisti: non committam posthac, ut te admonendo bis stultè, ut Comicus ait, facere dicar, laborem ipse in maximis meis occupationibus inanem capiam, & tibi, cui placere maximè cupio, molestus sim: sed ita legam scripta tua, cum per otium licebit, ut quæ mihi maximè probabuntur, quemadmodū multa probantur, hæc sim meritis laudibus libenter affecturus: si qua verò dubia, aut minùs probabilia esse videbuntur, ut esse quædam necesse est in opere longo & magno, ea tamen tacitus putem fundamentis inniti altiùs à te iactis, quàm quò valeat ingenij mei acies intenta penetrare. Nam licet adhuc pauca legerim, hoc est, ea duntaxat, quæ pertinent ad Hispaniæ descriptionem,


in qua tum temporis scriptorum meorum causâ
 versabar: ita tamen captus sum quibusdam opti-
 mē à te castigatis locis, ut totum opus mihi per
 otium perlegendum putem. Semel igitur disputa-
 tione de Plinianis castigationibus tuis omissa, re-
 spondebo tamen, sed paucis, ad eum epistolæ lo-
 cum, in quo te meam vel doctrinam, vel intelli-
 gentiam maximè desiderare scribis, quòd sic tibi
 figura quadam Hispaniæ partiis pro ratione cæ-
 lestium regionum designauerim, ut linea recta
 paulò supra Toletum ab Oriente in Occidentem
 ducta, quæ alteram à Septentrione in Meridiem
 contendentem transuersa secet, ad angulos recto
 ortum & Occasum æquinoctialem suis extremis
 demonstrare dicerem. Nam si hoc verum est, in-
 quis, efficitur ut Toletana regio circulo æquino-
 ctiali sit ad perpendicularum subiecta: unde tamen
 constat eam partiis amplius quadraginta Septen-
 trionem versus recessisse. Addis præterea ter-
 tiam, & quartam lineam, quæ in decusses obliquæ
 Ortus, & Occasus Solis æstiuos, ac brumaleis
 ostendunt, perperam in eadem figura per par-
 tium

tium nonagenarum medios arcus fuisse ductos,
 arcibus, quos in portiones longè impareis partitos
 oportebat, in prorsus æqualeis diuisis: quorum
 utrunque permagnum videlicet errorē commis-
 sum esse à me homine in literarum studio tandiu
 versato vehemēter te admirari conscribis. Atque
 hæc quidem summa est, ut arbitror, accusationis
 admonitionisq; tuæ: quæ tantum abest, ut mihi
 molestâ, aut grauis acciderit, ut fuerit etiam gra-
 ta & periucunda. Quid enim mihi Philosopho,
 id est, discēdi cupido, optatius accidere potest, quàm
 si quis me doctorum amicorum officiosè velit la-
 bentem sustinere, prolapsū ve erigere, aut erran-
 ti viam (ut est apud Ennium) comiter mōstrare?
 Ceterum ego excusationē affero non modò proba-
 bilem, ut spero, sed legitimam etiam, & qua iure
 possim culpam omnem deprecari. Quod me non
 temeritas, aut nouus & insolens quasi trames
 abstulit: sed ratio, & nota via veteribus, ac do-
 ctissimis pertrita in eam, quæ tibi tantopere im-
 probatur, sententiam induxit. Rationem enim se-
 cutus sum, quam, ut alios magnos Philosophos, &
 d 5 Mathe

Mathematicos omittam, Plinius tuus, Aristotelesq³ tradiderunt. Aut hos igitur mecum erroris & inscitiae damnare debes, aut cum eis, me omni culpa liberare: qui mihi authores fuere, ortus, & occasus Solis in quaque regione ad illum, quem damnas, modum, per descriptam figuram designandi, alter, ut scis, in Naturalis historiae lib. XVII. capite xxxiiij. & xxxiiij. alter in Μετεωρολογικῶν secundo libro. Quod, ut cetera Aristotelis te legisse, & relegisse, nunquam equidem (ut tibi, nescio qua ex causa, suspicari in mentem venit) dubitavi. Sed profecto quò saepius te Plinium, Aristotelemq³ legisse puto, qui non obscuris, aut ancipitibus, sed perspicuis planisq³ verbis de hac quaestione disseruerunt: hoc magis miror, te nunquam antè commotum fuisse præcepti huius absurditate, qua tantopere nunc offenderis, quàm cum descriptione literas meas cum clarissimorum authorum præceptis ad-amsim congruenteis accepisti: quanquam, non miror te ad eam salebram offendisse, quò multos incur-
re video diutius etiam in studijs Astrologiae ver-

satos,

satos, itidem illam figuræ describenda rationem, ad regiones duntaxat æquinoctiali circulo subiectas rectè accommodari posse existimanteis. Quæ de re nescio quid his paucis diebus, rudioribus fortasse non inutile futurum meditabar, scriptoq³ mandabam. Certissimis enim argumentis, quæ persequi epistolâ longum & ineptum esset, declaravi nihil ad illam certissimam & verissimam rationem interesse sub æquinoctiali circulo regio sita sit, an ultra citraue, etiam sub ipso mundi cardine, qui πῶλος ἀρκτικός à Græcis nominatur. Quòd si nec Plinio credis, nec Aristoteli: ipse rerum usus in iam appetente Aequinoctio poterit te edocere, si periculum facere libuerit: & ratio, si cum doctissimis Mathematicis rem contuleris, si quem forte nactus eris. Nec enim passim reperies, qui planè possit causas, & initia rationis huius explicare. His enim expositis atque perspectis, & ad instrumenta Astrologica, præsertim globosa, examinatis, facile intelliges illam rationem ortus & occasus æquinoctialis investigandi, omnibus regionibus terræ rectissimè ac-



commodari : nec cum Plinio errasse me putabis obliquis lineis ita ducendis , ut in æquas portiones intervalla illa partium nonagenarum dividant : non quòd sic vsu veniat ubique terrarum : sed quia id medium est , nec procul abest à norma Hispania nostra, & Italia, ubi Plinius ea prodebat, conueniente. Non enim si Sol XXIII . gradus , & semis circiter declinat ab æquinoctiali circulo , protinus idem primam partem cancri obtinens , eadem distantia supra finitorem ascendit in quaque regione : cum id in recta duntaxat sphaera contingat , hoc est , sub æquinoctiali sita. Nam obliquis ita variat , ut interdum per locum , plus etiam L . gradibus ab Æquinoctiali circulo remotum supra finitorem emergat , & oriatur , ratione mirabili

quidem non expertis , sed Mathematicis διὰ τῶν ἀστρολογικῶν θεωρημάτων explorata.

Vale.

IOAN

IOANNÉS GENESIVS SEPULVEDA Ioanni Quignonio Gymnasij Salmanticensis Præfecto S. P. D.

V Idistine quenquam pertinaciorē , quàm fuit Fernandus Pincianus , in illa Salmanticensi disputatione , cui tu Neylaq³ noster , & Olivarius vir Astrologia , cæterisq³ mathematicis disciplinis eruditissimus interfuistis ? cum ille non à me solum , sed à vobis etiā omnibus , quibus meam sententiam certissimis rationibus probaveram , obstinatissimè propter inueteratam in ipso , & plerisque alijs opinionem dissentiret , de motu scilicet Solis per signiferum ad terram relato , deq³ cælestis regiones designandi ratione , & Orospeæ montis situ. His enim de rebus disceptabamus. Erat autem meæ sententiæ orationisq³ summa , de progressu quidem Solis , omnem ab eo terram tum ad Meridiem , tum ad Septentrionem longissimo intervallo relinqui : ita ut terræ duntaxat rotunditas obstet , quò minus umbræ omnes Europam incolentium statim post vernum Æquinoctium Sole cæli medium obtinente, in

procur
una sen
tencia

te, in Meridiem iactentur: quod, si terra plana esset, usu veniret. Quanquam enim Sol per signiferum incedens nec Solstitia transit, nec radius ad perpendiculum iactis, Torridam terrestrem Zonam, & Syenem urbem progreditur: tamen postridie Aequinoctij verni omnem terram à Meridie relinquit, quam terram cœlesti globo, cui Sol affixus conuoluitur, comparatam, pro puncto esse inter Mathematicos constat. De regionibus autem cœlestibus, si per lineam meridianam, linea recta, quæ illam secet, ad angulos rectos ducatur: huius altera parte ortum Solis æquinoctialis, altera occasum in quaque parte orbis terra monstrari confirmabam. In quo theoremate non ab Aristotele solum, sed etiam à veteribus Mathematicis magno consensu tradito, plerique iuniorum hallucinabantur, id regioni duntaxat æquinoctiali circulo subiectæ accommodari existimantes. De Orospeda verò, hunc esse montem asseuerabam, qui ex media ferè Idubeda circa Saguntum profectus in Occasum excurrit, Segobrigenses, & Segobrienses, Auelensesq; fineis à
Carp

Carpitanis disterminans, deinde in Meridiem flexus Lusitanos à Toletanis dirimit, tum Spartarium campum, & ex altera parte Baturiam prætergressus Carthaginensibus montibus coniungitur, & per oram interni maris vsque ad fretum Herculeum excurrit. Cuius sententia author Strabo est, qui libro de Situ orbis tertio, Hispaniæ mediterraneas regiones, quæ inter Pyrenæum saltum, & latus septentrionale, vsque ad Astures continentur, duobus maxime montibus disterminari testatur, Idubeda & Orospeda: deinde utrumque describens ex media Idubeda à Cantabris ad mare nostrum non procul Iberi ostio pertinente ortam Orospedam, per quas dixi regiones ad Calpen vsque deducit. Quo planè publicus error, in quo Pincianus erat, conuincitur, omnem Orospedam existimantium ora maris nostri contineri, & maximum Hispaniæ, maximeq; in oculis hominum positum montem esse nominis expertem. Quarum rerum memoriam, faciendum putavi, ut tibi per epistolam renouarem, ut in isto clarissimo, & doctissimis hominibus frequentissimo
gymna

gymnasio Salmanticensi, cui ipse Σχολάρχος
ecclesiastica dignitate praees, & cum egregia tua
laude pro tua singulari, & quasi hereditaria
prudencia, virtute, & gravitate moderaris: si quis
apud te de meo his de rebus iudicio perperam (ut
quosdam factitasse passim exploratum habeo)
memorauerit, calumniam possis pro tua in me
benevolentia, mea^q in te obseruantia tum ex tuo
grauissimo testimonio, tum ex meis literis refel-
lere: quanquam de Solis per signiferum motu,
& terrae transitu, libello huic quaestioni dicato, de
ratione verò caelestis regiones in quaque terra-
rum parte demonstrandi, cum in vtraque qua-
estione non modò Pincianum, sed multos praeterea
aduersarios habuissem, in epistolis ad eundem
Pincianum missis accuratiùs disputavi. Quo in
loco mons idem Orospeida me cuiusdam publici
item erroris admonet, de quo te celatum nolo. Ex
Orospeida enim Batis fluuius in Oretania, non
procul capite Mariani montis, qui & ipse ab
Orospeida proficiscitur, exoritur, diu^q Mariano
ωαράλληλος in Occasum delapsus, & nō procul
Hispani

Hispani in Meridiem deflexus, duobus ostijs in
Oceanum Atlanticum emitti à scriptoribus
veteribus memoretur. Iuniorum tamen commis-
nis, sed falsa persuasio iam-pridem inualuit, alte-
rum Batis ostium paulatim euanuisse: cuius
alvei clara vestigia circa Rotam litorale castel-
lum extare, quidam ex nostris scriptoribus, dum
ceteris diligentiores, nec temere publicam persua-
sionem secuti esse videri vellent, literis mandare
non dubitauerunt, magna scilicet securitate. Batis
enim ut olim, sic hoc tempore in Atlanticum
Oceanum emittitur. A quo flumine quatuor
insulas infra Hispaniam effici constat, sed duas, quas
memorare non pigeat, alteram X V I. alteram
XXVIII. circiter mil. passuum longitudine pa-
tenteis, Minorem, & Maiorem appellatas: qua-
rum inferiorem Batis quasi duobus brachijs com-
plexus alluit, donec Oceano breui sinu terras vs-
que ad insulam intranti occurrat, quae duo bra-
chia Oceanum dextrâ, leuâ^q influentia, veteres
duo Batis ostia ut sunt, sic esse dixerunt, ut Stra-
bo grauis author declarat his verbis, Batis bifa-
riam

riam partitus in Oceanum exit, inter cuius ostia intercepta insula centum vel, ut quidam tradunt, amplius stadijs à litore distat: cum hac enim Strabonis oratione nunc quoque res quadrat ad amussim. Nam frons insulae huius tribus nostratibus milliariibus, quae summa ferè est centum stadiorum, abest à Salucare: quod castellum primum est in Oceani litore extra sinum, ori tamen ipsius apppositi quem sinum non amnis in unum corpus redeuntis, sed maris partem esse veteres magna ratione propter aquarum tum salsedinem perpetuam, tum latitudinem statuerunt. Nam si interceptam insulam accipias spatium Salucari, & Rotae interiectum, quod iuniorum scriptis est consentaneum: insula non stadijs ceterum à litore aberat, ut Strabo tradidit, sed ipsa litus efficiebat, & Oceani fluctibus alluebatur. Vale. Corduba Nonis Decembris.

PETRVS ANGELIVS BARGAUS BACCIO VALORIO S. P. D.

ECo verò, mi Valori, non video, quamobrem tuum quod est, tam verecunde ac dubitanter à

ter à me petas: nihil autem est, quod planè tuum non sit, si modò est illud meum. Sed id scilicet fuit. sciebas te si non ad Poëtam, ad eum certè scribere, qui Poëtarum lectione magnopere delèctaretur: quorum est proprium τὸ μελέτρον. Quare cum iam inde ab adolescentia modestissime te gesseris: voluisti nunc quoque tueri eandem personam, cum tamen omnia vel nutu ipso impetrare à me & possis, & debeas. Sed tu mecum, ut voles: ego certè tecum sic agam, ut nihil mihi unquã fuisse antiquius intelligas vel tacita etiam expectatione, ac voluntate tua. Eiusce quidem rei signum est non obscurissimum, quòd, quae occultari volebam, ea tibi à me leuissime requirèti quam primum mittenda esse statui. Tu tamen, si videbitur, cum paucissimis, id est, tecum tantummodo communicabis: ne, si fortè ad aliorum manus peruenerint, mihi si non acerbissimum odium, at tamen inuidiam parent, & contentionem, homini praesertim minimè litigioso. Scis enim multos esse, qui maledicendi occasionem seruel nacti, nullum maledicti aut finem, aut modum statuunt. Eò

e 2 enim

enim sibi magis placent, quò petulantius in alios inuehantur. Verùm hæc illi viderint: nos quidem & tibi libenter obtemperabimus, & quicquid propterea nobis euenerit, æquissimo animo feremus. Atque ut ad rem veniam: petis ut tibi perscribam, quid id sit, quod ad te quorundam sermonibus allatum est, me in M. Tulyi Dialogo de Amicitia notauisse, in quo ille memoria lapsus videri possit. Tu verò, quale hoc totum sit, facilius intelliges, si verba ipsa, quibus Cicero utitur in laudanda amicitia, prius cognoueris. Quòd si exemeris, inquit, ex natura rerum beneuolentia coniunctionem, nec domus illa, nec vrbs stare poterit, ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intelligitur: quanta vis amicitia, concordiaeq; sit, ex dissensionibus, atque discordijs percipi potest. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma ciuitas est, quæ non odijs, atque dissidijs funditus possit euerti? Ex quo quantum boni sit in amicitia iudicari potest. Agrigëtinum quidem doctum quendam virum carminibus Græcis vaticinatum ferunt, quæ in rerũ natura totoq; mundo const

constarent, quæq; mouerentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiã. Hæc quidẽ ille, dum ideo amicitiam esse magnopere expetendam, & colendam statuit, quòd causa esse videatur, quã ob rem domus, ac ciuitates confirmantur, & florescant: quemadmodũ discordia, ut euertantur. Est enim hæc huiusmodi conclusio, Discordia cõtracta dissipat, amicitia dissipata contrahit: quemadmodum quicquid dissipat vituperandũ est, ita quicquid cõtrahit, laudandum. Est igitur amicitia laudanda, quẽadmodũ vituperãda discordia. Altera itaque ut dissipatrix, causa est mali, altera ut cõciliatrix, causa boni. Atque hoc ipsum ut probet, Empedoclis authoritate maxime nititur, sed, ut mihi quidẽ videtur, non satis apte. Quod ita precipue patebit, si prius constituerimus, iuxta Empedocle laudari quod ab amicitia, & vituperari quod à discordia, an laudari quod à discordia, vituperari quod ab amicitia efficitur, oporteat. Ponebat igitur Empedocles vnum tantummodo esse mundum, eumq; dum & gignitur, & corrumpitur, ex vicissitudine quasi quadam & successione sempiternum.

ternum. Hunc, quum iam effectus esset, ἀνοδητὸν
 ipse appellabat: nos verbum è verbo satis expri-
 mere Latine non possumus, nisi verbo Lucretiano
 contenti sensilem nominemus: qui verò interys-
 set, νοητὸς Græcè, Latine qui animo, rationeque
 intelligitur, dici consuevit. Atque ἀνοδητὸς qui-
 dem tum erat, cum hæc ipsa, quæ elementa nomi-
 namus, & ex quibus cuncta oriuntur, loco suo se
 continebant unà cum ijs rebus, quæ ex illis coalue-
 runt, ut sunt cælum, saxa, planta, animantes, &
 reliqua id genus omnia: νοητὸς autem, cum ea-
 dem elementa suis quæque qualitatibus orbata,
 atque ab ijs rebus disiuncta, quæ ab eo concreta
 nominantur, unà omnia coaluissent, & quoddam
 quasi chaos effecissent. Hæc autem quia sine con-
 ficiente causa fieri non poterant, Amicitiam esse
 voluit, ac Discordiam: quarum altera vim con-
 trahendi cum haberet ex multis, ac diversis re-
 bus unam eandemque rem, altera, quæ est Discor-
 dia, ex una eademque re plureis, ac varias efficere
 conaretur: Quod cum consequebantur: illa νοη-
 τὸν hæc ἀνοδητὸν κόσμον efficiebat: quod quidē
 cum

cum Aristoteles VIII. libro φυσικῆς ἀκροῦς.
 libro primo ἐπιγένεσεως & φθ. libro III. ἐπι-
 γρανῆς; cum ipsius Empedoclis versus, qui à Sim-
 plicio recitantur, aperte ostendunt verum esse:

ἄλλοτε μὲν φιλότητι σίωερχόμεν' εἰς ἓν
 ἅπαντα,
 ἄλλοτε δ' αὖ διχα πάντα φορούμενα νέκεος
 ἔχθει.

Atque idem paulò post

τότε μὲν γὰρ ἐν ἠυξήθη μόνον εἶναι
 Ἐκ πολέωνων, τότε δ' αὖ διέφυ πλέον' ἐξ ἑνὸς
 εἶναι:

Πῦρ & ὕδωρ, & γαῖα, & ἄερος ἀπλείον ὕψος.

Atque illas quidem vicissim regnare sic affir-
 mabat, ut statis temporibus una imperaret, altera
 pareret, ita tamen, ut quæ pareret, non omnino
 relinqueretur:

Ἐν δέ μερσι κρατέεσι πᾶσι πλομεροῖο κύκλοι,
 & φθίνει εἰς ἀλληλα, & αὐξέται ἐν μέρσι εἰσης.
 quod & illud etiam confirmat,

εἰ τε γὰρ ἐφθέρουλο διαμπερές ἐκ ἑτ' αὖ
 ἦθεν & quæ sequuntur: Hæc itaque vera si sunt,

cum Cicero in laudanda amicitia Empedoclis testimonium citat, necesse est aut κόσμον ἢ νοητὸν approbet, cuius ipsa, ut vidimus, effectrix est, aut ex ea κόσμον ἢ ἀσθητὸν emanare opinetur: quod & verum non est, & ab opinione Empedoclis longissimè alienum. Nam quòd alij dixerunt, neque Discordiam per se ἢ ἀσθητὸν, neque Amicitiam ἢ νοητὸν; sed coniunctè ambas mundum efficere consuevisse, tueri Ciceronem non potest. Cur enim si hoc est, magis Amicitiam laudemus, quàm Discordiam? Si quia ea in re superior est Amicitia: in idem incommodum relabimur. Nam ut hæc constant, quæ sunt elementa, suum quæque locum obtineant, oportet: quod tum demum euenit, cum imperat Discordia, paret Amicitia. Illud itaque vnum superest, quo se defendere Cicero fortè possit, si dicamus eum, cum amicitiam laudaret, non quidem eam amicitiam intellexisse, qua cuncta vnum fiant, sed eam qua singulæ res, quæ in rerū natura totoque mundo constant, & mouentur, coalescunt: nam ijs verbis fortasse Cicero significauit τὰ μικτὰ

μικτὰ. Quemadmodum enim ut hoc totum quod est, ne intereat suum quæque locum elementa tueantur, necesse est: ita quoque ne intereant, quæ ex pluribus naturis concreta sunt, elementorum partes coniunctæ maneant, oportet. Inde enim & cælum, & saxa, & plantæ, & animantes omnes oriuntur. Quæ quidem si Amicitia conficit, Discordia dissoluit atque interimit, magis expedit, ut sint, quàm ut non sint: iurè Cicero amicitiam laudauit. Quòd autem ἐν κόσμῳ τῷ ἀσθητῷ eorum quæ concreta sunt, Amicitia sit causa: vel ex eiusdem Empedoclis versibus intelligitur. Σὺν δ' ἔβη ἐν φιλότῃ, & ἀλλήλοισι ποθεῖται.

Ἐκ τῶν γὰρ πάνθ' ὅσ' ἦν ὄσα τε ἔτι, & ἔσται,
Δένδρα τε βεβλάσθηκε, & ἀνέρες, ἠδὲ γυναικες,

Θῆρες τ' οἰκονοῖτε, & ὑδατοθρέμμοι ἰχθῦς,
Καὶ τε θεοὶ δολιχάωνες τιμῆσι φέριστοι.

Hac ratione qui Ciceronis locum interpretabitur: videbitur ille quidem non nihil dixisse, sed tamen, nisi planè fallimur, parum omnino fuerit. Ut

enim concreta quæ sunt, ab Amicitia efficiantur: certè cum superata Discordia, regnare incipit Amicitia, quod statis temporibus fieri diximus, tum sanè necesse est, unà cum elementis res omnes intereant: quando id assidue agit Amicitia, ut plura quæ sunt, unum fiant. Quod igitur ad Empedoclem pertinet, non video quomodo magnopere laudare amicitiam debeamus. Ac mehercule si in hunc huiusmodi locum Heraclitus incidisset, non minùs Ciceronem reprehendisset, quàm Homerum, quem quòd ἐπίσκει τοῦ θεῶν, ἐστὶ ἀνθρώπων ἀπόλοιτο dixisset, acerrimè accusavit, eumquè totius orbis interitum optare affirmavit. Quòd si Cicero in hoc loco amicitiam & benevolentiam intellexit, quæ homines inter se coniunguntur, non autem illam naturalem, quæ inter se longè differunt: secus omnino, quàm oportuit, eius Philosophi auctoritatem usurpavit, quæ ad rem, de qua disputabat, nihil pertineret. Vale.

IOSE

IOSEPHVS BOCCA PETRO

Angelio Bargao S. P. D.

Superioribus diebus, ruri cum essem, legi πρὸς Δεγόμενα quadam tua in Virgilium, docta illa quidem & erudita, sed ita tamen brevia, ut mihi, adolescenti videlicet, in studijs literarum nondum satis versato, minùs copiosè, quod volebam, explicarent. Etenim cum inter cætera, quæ ad ordinem, rerumquè disponendarum rationem pertinent, illud prudentissimè factum esse à Poëta dicas, ut à sexto vertente anno navigationis exorsus, quæ res priorem ex Sicilia discessum antecesserant, eas epeisodijs concludat: scrupulum illi non eximis, quem nobis Servius Grammaticus inicit, cum in eorum annorum ratione Virgilium memoria lapsum esse affirmat. Quod ego quoque, nisi tu aliter sentiret, verum esse arbitrarer, cum interpretis auctoritate, tum Poëta locis inter se comparatis impulsus. In extremo enim primo libro ita Dido cum Aenea loquitur,

- nam te iam septima portat

Omni bus errantem terris, & fluctibus æstas. Ubi

Servius

- „ Servius, Per aestates, inquit, annos intellige. Nam
 „ sic ante Olympiadas computabant. Septem autem
 „ annos esse Dido cognovit ex Teucro. Donatus
 „ item, Ut Aeneas (inquit) intelligeret & gesta in
 „ Troia, & septem annorum cursum sibi esse ite-
 „ randum. Quarto deinde libro non modo reli-
 „ quam illius aestatis partem, sed etiam totam hye-
 „ mem, quae consecuta est, ab Aenea fuisse Cartha-
 „ gine consumptam illud testatur,
 „ Nunc hyemem inter se luxu, quam longa, fouere.
 „ Regnorum immemores turpiq; cupidine captos.
 „ Ac rursus v. libro, cum in Siciliam reuersus pa-
 „ renti Anchisa, quem superiore anno paulò ante,
 „ quam illinc discederet, mortuum reliquerat, iusta
 „ esse persoluenda diceret.
 „ Annuus exactis completur mensibus orbis,
 „ Ex quo reliquias diuiniq; ossa parentis
 „ Condidimus terrâ, mœstasq; sacrauimus aras:
 „ Iamq; dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum,
 „ Semper honoratum, sic dii voluistis, habebo. Hic
 „ igitur annus, quem Aeneas cum Didone com-
 „ moratus est, si Poëta sibi constare voluerit, octa-

uus fuit. Itaque cum Virgilius eodẽ v. libro dicit,
 Septima post Troia excidium iam vertitur aestas,
 videtur sine vlla dubitatione $\mu\eta\mu\omicron\nu\iota\kappa\omicron\nu\epsilon\ \epsilon\mu\acute{\epsilon}\rho\text{-}$
 $\tau\eta\mu\alpha$, praesertim cum hæc verba pronuntientur
 ab ea, quæ quò cæteras matronas ad exurendam
 classẽ vehementiùs hortaretur, eò magis tempo-
 ris diurnitatem augere debuit: nunc autem
 imminuit, quod non leue est in ea re peccatum.
 Ergo & Virgilius memoria lapsus, & Aenea
 res non à sexto, sed à septimo vertente anno vi-
 detur inchoasse. Quòd si iam VII. anni præterie-
 rant, cum Carthaginem venit, sequitur octauũ
 anni fermè fuisse initium, cum ex Sicilia insula
 discessit, & in Africam delatus est, noniã prin-
 cipium cum ex eadem insula profectus in Italiam
 traiecit. Hæc ego abs te & vberius disputari, &
 subtiliùs explicari voluissem. Neque enim persua-
 deri mihi vnquam potuit esse ijs in locis erratum
 aliquod potius, quam aliquem Theaurum (quod
 Virgilium facere consueuisse sæpe ex te audiui)
 reconditum at latentem, quem ille nobis ex ve-
 terum monumentis, tanquam ex terra latebris &
 visce

visceribus eruendum reliquerit. Peto igitur à te, ut & summum Poëtam à calumnia defendas, & mihi omnem dubitationem tollas. Quod si feceris: nihil vereor, quin cum ipsi manes Virgiliani, tum omnes adolescentes bonarum literarum studiosi tibi multum debeant. nam de me quidem nihil audeo polliceri. Neque enim præterea quicquam à te fieri potest, quod aut cumulum tuorum in me meritorum, aut meæ in te pietatis religionem augere possit. Vale.

PETRVS ANGELIVS BARGÆVS

Iosepho Bocca S. P. D.

Magnam mihi voluptatem attulerunt litera tuae, in quibus facile ostendis, te tantos iam progressus fecisse in hisce studijs humanioribus, ut appellant, ut omnia de te speranda sint, quæ laudem hominibus, & gloriam immortalem prætere consueverunt. Quid enim aliud expectamus ab ingenio illo tuo in primis excellenti & singulari, cuius ego celeritatem & magnitudinem sum semper admiratus? Quod si quando alias,

nunc

nunc profectò sic mihi usu venit, ut neminem esse statuerim equalium tuorum, cui tu animi bonis longè & multum non antecellas. Ut igitur tibi, quem propter mirificam indolem virtutis unice diligo, scrupulum illum, quem, ut ais, nobis Seruius iniicit, euellam: (quanquam à me multa, quæ ad hoc ipsum pertinebant, tum dicta sunt, cum publicè Virgilium interpretabar) videamus primùm, quo tempore discesserit è Troia Aeneas. Et quidem Dionysius Halicarnassensis libro primo ἑωμ. ἀρχαίολ. Ἰλίου μὲν γὰρ, inquit, ἤλω τελευ- ,, τῶντος ἤδη τῷ ἔαρος ἑπτὰ & δέκα πρότερον ,, ἡμέραις τῷ θερινῆς ἔσοπῆς, ὀργῆ φθινοῦτος ,, μηνὸς θαργηλιῶνος, ὡς Ἀθωαῖοι τὸς χρό- ,, νος ἀγασί. περιτῆα δὲ ἦσαν αἱ τὸν ἐνιαυτὸν ,, ἐκείνον ἐκωληρῆσαι μετὰ πλεῖστον ἑικοσιν ,, ἡμέραι. ἐν δὲ ταῖς ἑπτὰ & πεντάκοντα ταῖς ,, ἀπὸ τῆς ἀλώσεως διαγενομένης, τάτε πλεῖστον ,, πόλιν οἴομαι διοικήσασθαι τὸς ἀχαιῶς, & ,, τὰς πρεσβείας ἐπιδείξασθαι τὰς πλεῖστον τῶν ,, ἀφρητικῶτων, & τὰ ὄρκια ποιήσασθαι πρὸς ,, αὐτὸς. τῷ δὲ ἔξῃς ἔπει, πρῶτω δὲ μετὰ πλεῖστον ,, ἀλωσιν

,, ἄλωσιν δὲ πῶν μετοποριῶν ἰσημερίων
 ,, ἀραῦτες οἱ πρῶτες ἐκ τῆς γῆς περαῦνται ἢ
 ,, ἑλλάσποντον. *Extremo, inquit, vere captum est*
Ilium diebus ante Solstitium decem & septem,
nono scilicet Cal. Iunij, qua ratione tempora Athe-
nienses dimetiuntur. Dies enim viceni, quos Sol-
stitium antecedebat, in conficiendo anno interca-
labantur. Ac sanè trigintaseptem post captum
Ilium diebus, ea omnia, quæ ad ciueis Troianos
pertinerent, Achinos ordinasse, & ad eos, qui il-
linc secesserant, legationes misisse, fœderaq; percus-
sisse arbitror. Sequenti verò anno, quem primum
post captum Ilium numeramus, cùm è Troia cir-
citer Aequinoctium Troiani cum classe discessis-
sent, Hellepontum traiecerunt. Hec nos, ut la-
borem tuum minuere, è Dionysio ita latina
fecimus. Apud quem deprauatè legitur τελευ-
τωντος ἡδη & θέρης pro τῆς ἑαρος. ut ex ra-
tionem dierum, qui ante & post Solstitiū à Dionysio
ponuntur, facilimè cognoscitur. Constat igitur ca-
ptum esse Ilium, si Solstitij rationem, ut nunc est,
sequamur, circiter IX. Cal. Iun. Neque tamen
 ignoro

ignoro θαρρηλιῶνα Aprilem potius, quàm
 Maium esse (ut Theodoro placuit) interpretan-
 dum. Verùm quia non omnino eadem est Atti-
 corum, & Romanorum mensium ratio, & men-
 ses, quibus ad annum conficiendum utimur, ex
 solari cursu mutati adeò sunt, ut cùm apud Vete-
 res Bruma Calendis Ianuarijs esset, nunc ad Idus
 Decemb. redierit, interpretari libuit, IX. Cal. Iu-
 nij. Sed hæc πῶν περὶ γῆς. Virgilius igitur ut in
 multis alijs, hîc etiam historiae fidem sequutus
 Ilium extremo vere fuisse euersum ostendit, cùm
 libro tertio rem ita narrat.

Postquam res Asia, Priamiq; euertere gentem
 Immeritam visum superis, ceciditq; superbum
 Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia,
 Diuersa exilia, & desertas quærere terras
 Augurijs agimur Diuùm, classemq; sub ipsa
 Antandro & Phrygiæ molimur montibus Ida,
 Incerti quò fata ferant, ubi sistere detur:
 Contrahimusq; viros. Vix prima incæperat æstas,
 Et pater Anchises dare fatis vela iubebat.
 Hic, ut precisè significauit tempus, quo Aeneas è
 f Troia

Troia discessit, ita necesse non habuit, ex historia fide (quod Dionysius fecit) omnia persequi. Aliud enim Poetae, aliud Historico propositum est. Inveniente igitur aestate Aeneas ex eversa, & concremata patria discedit, & in Thraciam classem appellit: eamque aestatem omnium primam peregre consumit. Vertente autem anno, iam non una, sed duae aestates Aeneam, ut Virgilij verbis utamur, errantem portabant. Qua ratione fit, ut tres aestates duos annos complecterentur, sic, ut extrema aestas semper antecedentis anni finis, subsequen-
 tis vero esset initium. Cum itaque Dido dicit,
 „ Nam te iam septima portat Omnibus erran-
 „ tem terris, & fluctibus aestas: rationem habuit
 temporis, quo Aeneas ex eversa patria discessit.
 Atque ita inter ceteras aestates primam etiam
 intelligi comprehendique voluit: id quod ex Aeneae
 narratione facile percipitur. Tertio enim libro
 commemoratur e Troia discessus, urbis aedificatio
 in Thracia, portentum, quo coactus est ex ea re-
 gione discedere: quae omnia ad primam illam
 aestatem pertinent. Recte ergo, atque ordine Di-
 doni

doni respondet Aeneas, quae sibi excidium Troiae
 primum (quod secundo libro factum est) deinde
 Troianorum errores, ab Aenea, ut narrarentur,
 petierat. Male itaque Servius, male Donatus
 item, qui ex ijs versibus septem annos iam absolu-
 tos intelligi oportere crediderint. Erat quidem
 illa aestas septima, quae sextum annum, non quae
 septimum concluderet. Annus autem, cuius ma-
 gnam bonamque partem Aeneas Carthagine
 commoratur, septimus est. Itaque quoniam eodem
 anno in Siciliam revertitur, quod ex ijs versibus
 ostenditur, Quin etiam hyberno moliris sydere
 classem. Et medijs properas Aquilonibus ire per
 altum. Ac matres classem vrere aggrediuntur:
 ea, quae reliquas ad id facinus cohortabatur,
 Septima, inquit, post Troiae excidium iam verti-
 tur aestas: id est, septimus annus iam praeterijt: ut
 hic aestas improprie, figuram tamen usitatissimam
 pro anno accipiatur. Quod ut aperte intelligere-
 tur, utitur Virgilius hac in re eo verbo, quod, qui
 Latine locuti sunt, in eadem re saepe usurpave-
 runt. Nam vertentem annum pro perfecto, &
 f 2 abso

absoluto dici, clarius est, quàm ut exemplis confirmari oporteat. Quare Virgilius optimus Latinitatis author ubi æstatem proprie accipi voluit, Septima, inquit, ætas te portat. Ubi autem figuratè, Septima, inquit, vertitur æstas, perinde ac si dixisset, septimus hic annus vertens est, hoc est, perfectus atque absolutus. Quòd verò Dionysius non utique eadem æstate, qua captum est Ilium Troianos discessisse, sed sequente vere scribit, hoc nihil ad rem nostram pertinet. Nam præterquam quòd nimia omnis diligentia minuta est, ac propterea Poëtarum artificio, & granditati minùs apta: responderi etiam potest, & Dionysium suam, & Virgilium item suam opinionem sequutum esse: quanquam mihi quidem satis est Poëtam hunc & constantissimè loqui, & quæ semel proposuerit, ab ijs ne latum quidem unguem discedere. Hæc autem, mi Bocca, si ita interpretabimur: non modò Virgilium defendemus, sed etiam doctissimè locutum fuisse deprehendemus, quippe qui & temporum, & Latinitatis, & historia ea in re vel in primis rationem habue

habuerit, & quid Heroicum Poëtam deceret, optimè perspexerit: nos etiam non imperitè dixisse existimabimur, si illum iam inde à principio septimi anni Aeneam suam deduxisse è Sicilia ἐν τοῖς πρῶτοις ἀπολογούμενοις affirmavimus. Vale.

PETRVS ANGELIVS BARGÆVS

Iosepho Boccæ S. D.

Litera, quas ego abs te nuper accepi, magnò sperere me delectauerunt: nam & amoris erga me tui notis insignes sunt, & propositis eruditae quæstiunculis nonnullis, quantum in hisce studijs profeceris, ostendunt. Inter eas autem illa planè visa est mihi digna ingenio tuo: qua versus è primo Aeneidos, ubi causæ quàm plurimæ enumerantur, quæ Iunonem ad persequendos Troianos impellebant, à te valde accurate ponderantur. Progeniem sedenim Troiano à sanguine duci Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces. Hinc populum latè regem, belloq; superbum Venturum excidio Libya. Dicis enim te hos versus diligenter examinantem iudicare aliquid

f 3 habere

habere, quod tu planè videre non possis. Neque enim existimas Poetam tam elegantem, tamq̄ eruditum, qui præsertim suos ipse versus more vr̄sæ, ut aiunt, lambendo facere consueuisset, rem quam duobus carminibus complexus erat, eandem statim ineptè iterare voluisse: ac præcipuè eo in loco, ubi id minimè fieri oporteret, in narratione scilicet. Nam & Progeniem Troiano à sanguine duci, & Hinc populum venturum idem esse tibi videri scribis: & euertere arces Tyrias, & Libyæ excidio fore nihil inter se discrepare putas. Idq̄ eò minus esse ferendum arbitraris, quò magis non ignoras fuisse à scriptoribus memoria proditum, primum hunc librum non modo Tuce & Vari, sed etiam ipsius operà Virgilij paulò, quàm alios, emendatiorem fuisse. Atque hæc sanè, mi Bocca, quæ te dubitare coegerunt, me quoque olim in eam mentem impulerunt, ut crederem parum esse digna, quæ in tam eleganti poëmata legerentur. Quid enim ea eiusdem sententiæ iteratione esse potuit ineptius? Sed cum veteres authores diligentius legerem, factum

etiam est, ut quod antea non parum deforme videbatur, id mihi postea & pulcherrimum, & omni admiratione dignissimum esse videretur: quemadmodum sunt omnia existimanda, quæ apud Virgilium, cum ea parum intelligerent, multi ausi sunt reprehendere. Dionysius cum libro primo incrementa Romani Imperij describeret, ἐξ ἧδε, inquit, ὅλης ἐκράτησεν ἰταλίας, & ἐπὶ πῶ ἀπάντων δεξιὴν ἐθάραξεν πελοπόννησον ἐκβαλῶσα μὲν ἐκ τῆς θαλάσσης καρχηδονίης, οἱ πλείους ἔσχον ναυτικὴν δύναμιν· ὑποχείριον δὲ λαβῶσα μακεδονίαν, ἢ τέως ἔδοκει μέγιστον ἰσχύειν κατὰ γῆν, ἧ δὲν ἔτι ἀντιπάλου ἔχουσα ἔτε βάρβαρον φύλον, ἔτε ἑλληνικόν, γενεὰν ἐβδόμῳ ἤδη πλὴν ἐπὶ ἐμῶ διαμένει πάντος ἀρχουσα τόπῳ. Quibus verbis satis aperte, ut mihi quidem videtur, ostendit Dionysius tum demum Romanos & uniuersa Italia, & Macedonia, & aliarum etiam nationum imperio potitos esse, cum Carthaginienſeis bello superarunt, mariq̄ omni interdixerunt. Idem tamen Poly-

f 4 bius

bis clarius scribit, cum libro primo sic ait: τῷ
 γὰρ πρῶτον πολέμῳ κρατήσαντες οἱ
 Ῥωμαῖοι καρχιδονίων, & νομίσαντες τὸ
 κυριώτατον, & μέγιστον μέρος αὐτοῖς ἠνῦσθαι
 πρὸς πᾶσι τῶν ὄλων ἐπιβολήν, ἔτι & τότε
 πρῶτον ἐθάρασαν ἐπὶ τὰ λοιπὰ τὰς
 χεῖρας ἐκτείνειν, & περᾶσθαι μὲν δὴ
 μεῶν εἰς τε πᾶσι ἑλλάδα, & τὴν κατὰ πᾶσι
 ἁσίαν τόπον. Quòd si Carthaginensibus pro-
 fligatis ac devictis, Romani ausi sunt tum demum
 & Græciam invadere, & in Asiam exercitus
 traicere, latiusq; Imperij fineis proferre, quod
 etiam tacente Polybio & Dionysio ex ipsa histo-
 ria facile intelligitur: profectò fatendum est Vir-
 gilium doctissimè locutum esse, qui eo in loco duas
 causas commemoraverit, quæ Iunonem accendere
 atque adeò inflammare poterant ad Troianos ar-
 cendos, fugandosq; procul ab Italia: unam, quòd
 eorum nepotes arces Tyrias, id est, Carthaginis
 imperium essent eversuri, alteram, quòd idem po-
 pulus, qui à Troianis originem traheret, propter
 Carthaginensis imperij eversionem latè esset im-
 pera

peraturus, armisq; omnes nationes debellaturus.
 Nam agrè ferimus quidem, quos amamus, ab
 inimicis nostris superari, sed si eosdem inimicos
 ea victoria fineis imperij producere, superbosq; &
 intolerabileis fieri intelligimus, dolorem capimus
 infinitum, atque hoc demum est, quod nos quiesce-
 re nunquam sinit. Optimè igitur Virgilius, qui
 priore loco leviolem, posteriore graviolem cau-
 sam incitanda ad iram Iunonis posuit. Locum
 igitur sic interpretamur, Hinc populum latè re-
 gem, belloq; superbum Venturum excidio Libya, , ,
 id est, Populum Romanum profligatis atque ex-
 cisis Carthaginensium rebus, venturum, id est, fu-
 turum & evasurum latè regem, id est, propaga-
 turum imperij fineis, & ita vireis aucturum suas,
 ut cæteris omnibus nationibus dominetur. Illud
 enim, Excidio Libya, non tertius, sed septimus est
 casus. Utitur autem Virgilius etiam in Georgicis
 Venire pro Fieri in eadè significatione, An Deus , ,
 immensi venias maris. Et item Propertius libro
 primo, Tu tamen in nostro lenta timore venis. , ,
 Non est itaque amplius existimandum, hoc in

loco esse vllam ineptam τὰ ὑπολογίαν, sed potius summi Poëtae ingenium suspiciendum, qui paucis-
simis verbis res maximas concluderit. Vale.

PETRVS ANGELIVS BAR-
gaus Iosepho Bocca S. P. D.

PEtisti à me nudius tertius, an ego quicquam
in epistolam ad Numicium, qua est apud
Horatium, fuisset aliquando commentatus: quod
in ea locus esset perobscurus, in quo illustrando ac
patefaciendo ne interpretes quidem vlli quan-
quam, id vt facerent, enixè conati sunt, tibi vn-
quam satisfecerint. Versus autem illos, in quibus
parum, vel potius nihil viderunt, memoriter &
iucunde pronuntiaui:

” Si fortunatum species, & gratia praestat:
” Mercemur seruum, qui dicet nomina: lauum
” Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
” Porrigere. Fatebaris hic te plane ignorare quid
” tandem esset dextram porrigere trans pondera.
” Dixi me iam antea nonnihil apud Ciceronem
” obseruasse, quod tantis tenebris, quae locum istum

occupa

occupauerant, lucem aliquam afferre videretur.
Quoniam verò eius rei, quaecunque foret, te per-
cupidum esse ostendisti: committere nolui, vt tu
me vel mendacem, vel inuidum esse arbitrareris.

Vt igitur quod praesenti tit. breuiter & peran-
gustè respondi, nunc vberius & copiosius absenti
explicem: perscribam ea omnia, quae in hunc lo-
cum dici posse existimabo. Ac sanè si epistola
argumentum spectemus, vbi ait, Si fortunatum
” species, & gratia praestat, nihil aliud significat,
” quàm eum, qui anxie honores consecratur, bea-
” tum esse non posse. Cum enim praeter sapientem
” nemo sit beatus: is, qui stultè agit, beatus esse non
” potest. Sunt enim repugnantia ineptè agere, &
” sapienter agere. Quod autem ineptè agant qui
” preherant, ostēdit L. Crassus primo libro de Ora-
” tore apud Ciceronem his verbis, Dicam equidem
” (inquit) quoniam institui, petamq; à vobis, ne has
” meas ineptias efferatis: quanquam moderabor
” ipse, ne vt quidam magister atque artifex, sed quasi
” vnus è Togatorum numero, atque ex forensi vsu
” homo mediocris: neque omnino rudis videar non
” ipse

, ipse aliquid à me prompsisse, sed fortuito in ser-
 , monem vestrum incidisse. Equidem cum peterem
 , magistratus: solebam in prehensando dimittere
 , à me Scauolam, cum ei ita dicerem, me velle esse
 , ineptum: id erat petere blandius: quod nisi ineptè
 , fieret, bene non posset fieri. Hunc autem esse vnum
 , hominem ex omnibus, quo presente ego ineptus
 , esse minimè vellem: quem quidem nunc mea-
 , rum ineptiarum testem & spectatorem fortuna
 , constituit. & Valerius Maximus Cap. de ve-
 , recundia, Consulatum (inquit) petens L. Crassus,
 , cum omnium candidatorum more circum fo-
 , rum supplex populo ire cogeretur, nunquam ad-
 , duci potuit, id vt presente Q. Scauola grauissimo,
 , ac sapientissimo viro socero suo faceret. Itaque ro-
 , gabat eum, vt à se, dum ineptæ rei inseruiret, di-
 , scederet, maiorem verecundiam dignitatis eius,
 , quàm candidæ togæ suæ respectum agens. Erat
 , igitur Candidatorum ambitio & studium planè
 , res inepta, minimeq; digna, quam homines graues
 , & sapientes consecrarentur. Quamobrè iubet Ho-
 , ratius ἐπεὶ πάντες ὀνομεύομεν, ἢ ἐξιστῖμεν ἐν γένεσιν
 , magi

magistratibus positum esse summum bonum, vt
 nomēclatorem seruum emamus, qui nobis ciuium
 nomina dictare possit, quando illud ad concilian-
 das tenuiorum hominum voluntates magnopere
 pertinet. Itaque in Iliade Agamemnon Mene-
 laum monet, vt vnumquenque suo nomine appel-
 let, cohorteturq; ad rem strenuè agendam,
 Φθέγγεο δ' ἦκεν Ἰηδοῖα, ἔ ἐρηγόρθαι ἄνωχθι
 Πατρώθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον
 Πάντας κυδαίνων μήδε μεγαλίζεο θυμῶ.
 Et Othonem scimus ideo ad Imperium à militi-
 bus euectum fuisse, quòd nominatim singulos mi-
 lites in exercitu appellare consueuisset. Hoc itaque
 vt qui magistratum petebant, facere possent no-
 menclatorem habebant, qui ciueis nouerat, qui la-
 teris perfossione hos, & illos, qui plurimum vale-
 rent in ferendo suffragio, quorumq; gratia suis in-
 tribubus magna erat, studiosissimè prehensandos
 esse admonebat. Eius autem leuum latus per-
 fodere consueuimus, quem cum honore & cultu
 quodam prosequimur, admonere ita volumus, vt
 quicquid agendum est, ipse per se nullo admonente
 fecisse

fecisse videatur. Terentius Hecyra. L. Heri Philumenam ad se accersi hic iussit: dic iussisse te. PH. noli fodere, iussi. Cogit autem seruus ille porrigere dextram trans pondera, hoc est, ineptum esse, sic, ut neque grauis, neque pudentis hominis dignitatem tueatur. Ponderus autem pro animi grauitate accipi adeò notum est, ut putidum sit in re tam clara cuiusquam exemplis uti, & quasi in Sole lumen adhibere. Id fortasse minùs vsitatum, ut in eam significationem plurium numero vsurpetur: quod tamè in carmine ad Pisonem legimus, Quis regit ipse suam nisi per tua pondera, mentem? Candidati igitur cum dextram porrigerent, multosq; prehensarent, blandè alloquerentur, atque hunc quidè fratrem, illum parètem, natum alium appellarent, ac pro singulorum etate, ac dignitate cunctis adularentur: ineptissimè faciebant. Unde fieri minimè poterat, quin cum spe decicerentur, cum se vinci à competitoribus viderent: magna molestia afficerentur. Beati igitur esse non poterant. Atque hæc quidem sunt, mi Bocca, quæ mihi nunc in mentem venerunt ad istum ipsum locum

locum interpretandum. Quòd si quod nouisti re-
ctius istis candidus imperti: si non, his utere me-
cum. Vale, & me, ut soles, ama.

PETRVS ANGELIVS BAR-
gaus Antonio Ciofio S. P. D.

Scribis te, dum vnà cum Bernardo Vignia, &
Ricasulo animi causâ, ut assolet, secundo flu-
mine nauicula uehereris ad Arni ostia, ut ibi
diem piscando consumeretis: inter nauigandum,
ne quod honestæ voluptatis genus vobis deesset,
Catullum Poëtam venustissimum legere cœpisse,
& in eos versus incidisse, qui sunt in Lesbium
quendam lepidissimè conscripti. Quos quia fuisse
à me olim explicatos memineras, cum Oratio-
nem pro Domo publicè interpretarer: tuo eo-
rumq; nomine à me petis, ut quicquid illud est,
quod in ijs illustrandis interpretes minùs vide-
rint, tibi perscribam. Ego verò, qui omnia vobis
debeo, non grauabor illud à me postulantibus præ-
stare, quod etiam tacitè cupientibus vltro ac li-
benter prestitissim. Sunt autem hi versus, ut
opinior,

Lesb

*Lesbius est pulcher : quid ni? quem Lesbia malit
Quàm te cum tota gente Catulle tua.*

Sed tamē hic pulcher vēdat cum gente Catullum,

Si tria Amatorum basia reppererit.

*Epigramma est, nisi planè fallimur, conscriptum
in Sex. Clodium Pulchrum : cuius opera in tur-
bulentissimis illis suis legibus perscribendis P. Clo-
dium Pulchrum, dum esset Tribunus pl. vsum
constat. Amabat Catullus Clodiā P. Clodij so-
rorem & fratris, & aliorum adulterijs infamem,
eamq; Lesbiam, ut aiunt, ficto nomine appellabat.
Cum autem tantam impudicitiam haud satis
equo animo ferre posset : comiter ille quidem &
perfacetè, sed tamen vehementer eam taxabat,
ut cum ait,*

Cum suis vivat, valeatq; mæchis,

Quos simul complexa tenet trecentos,

Nullum amans verè, sed identidem omnium

Ilia rumpens. &

Cæli Lesbia nostra, Lesbia illa,

Illa Lesbia, quam Catullus vnam,

Plusquam se atque suos amavit, omnes

Hunc

*Nunc in quadriuijs, & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.*

& item illud,

Nunc te cognoui : quare etsi impensius vror

*Multo : mi tamen es vilior, & leuior. atque
alia quæ cum omnibus obuia sint, opus non est, ut
à me nunc recitentur. Constat igitur Clodiam, si-
quidem eam intelligit, fœminam fuisse planè pro-
strata pudicitia : quod item ex Cicerone didici-
mus, qui omneis fermè eius labe, quæ & plurimæ
erant, & fœdissima, sic detexit, ut supervacaneum
sit ea de re quicquam dicere. Illud tamen, quod
adhuc est à paucis animaduersum, memoria pro-
dere non pigebit, præter ea scilicet, quæ sunt omni-
bus nota, id quoque vitium Ciceronem in Clodia
notauisse, quod turpissimum existimari debeat :
significat enim ab illa Sex. Clodium P. Clodij le-
gum scriptorem amatum sic, ut fœdissimo libidi-
nis genere cum eo oblectaretur : neque is sanè in-
uitus ea in re se illi obsequentem præstaret : de-
missa enim in gremium capite, atque ore ad mu-
liebrem naturam admoto linguam spurcissimè
g inquin*

inquinabat. Itaque illum Cicero in Oratione pro
 ›› Cælio hominem vocat sine re, sine fide, sine spe,
 ›› sine sede, sine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni
 ›› inquinatum: eundemq; in Oratione pro Domo
 ›› helvonem dicit, additq; illud, Qui sua lingua etiam
 ›› sororem tuam abs te abalienavit. Et in eadem
 ›› oratione paulò post, Ex ore impurissimo Sex. Clo-
 ›› dij rem frumentariam esse ereptam. Hæc verò,
 ›› quæ nò multò post sequuntur, quod dicimus, aper-
 ›› tissimè ostendunt, Sexte (inquit) noster bona ve-
 ›› nia dic, quoniam iam Dialecticus es, & hoc quo-
 ›› que liguris, quod factum non est, ut sit factum, fer-
 ›› ri ad populum, aut verbis ullis sanciri, aut suffra-
 ›› gijs confirmari potest? Hoc tu scriptore, hoc con-
 ›› siliario, hoc ministro omnium non bipedum so-
 ›› lum, sed etiam quadrupedum impurissimo Remp.
 ›› perdidisti? Neque verò, ut hoc etiam magis con-
 ›› firmemus, illud ex eadem Oratione sumptum ad-
 ›› scribere pigebit. Quare hoc ex Clodio scriptore
 ›› legum tuarum: iube adesse: latitat omnino: sed
 ›› si requiri iusseris, invenient hominem apud soro-
 ›› rem tuam occultantem se capite demisso. Hæc qui
 ›› vel

vel negligenter legerit, facilimè potuit intelligere
 de Clodia P. Clodij sorore, deq; Sex. Clodio id si-
 gnificari, quod à nobis est superiùs demonstratum.
 Itaque nunc ut coniecturam aperiamus nostram,
 hoc ipso in Epigrammate credimus idem Catul-
 lum notare voluisse: ut quemadmodum Clodiam,
 quam amabat, Lesbiam appellauerit, ita Clo-
 dium, quem oderat Lesbium dixerit, & in Pul-
 chro Claudia familiae cognomine iocatus fuerit:
 id quod etiam Cicero persæpe fecit. Patet igitur
 vobis iam, nisi fallor, Sex. Clodium significari
 turpissimo libidinis genere delectatum, cui etiam
 Tib. Caesar authore Suetonio deditus fuit. Unde
 illud in Atellanis increbruerit, Hircum vetu-
 lum ore capreis naturam ligurire.

IOANNES MICHAEL BRVTVS

Vespasiano Gonzagæ viro principi, ac Philippi
 Hispaniarum Regis pedestrium co-
 piarum in Italia Præfecto S.

ITa est, Vespasiane, clara tua & illustris vir-
 tus, ut qui illam fama cognitam non habeant,
 nostrorum hominum perpauci sint: qui illam
 g 2 nōrint,

nōrint, & te non ament, aut omnino sint nulli, aut si qui modo sunt, ijdem aequè & te non amare, & se etiam ipsi odisse possint. Equidem memoria teneo, cum adolescens admodum me Neapolim contulissem eius urbis visendæ causa, quam fama acceperam esse in primis Italia clarissimam: te puerum adhuc ijs omnibus artibus magna cum laude operam dare, quæ esse dignæ viro principe viderentur, & qui is aliquando, quem te esse nunc videmus ubi atas accessisset & rerum usus, esset futurus. Erant autem multa, quæ magnam excitatam de te hominum spem iam inde à primis tuis annis confirmarent, familia nobilitas, quæ, quantum repeti memoria possunt res à maioribus tuis gestæ, in Italia fuit semper honoribus florentissima: parentis tui viri clarissimi, & fortissimi summa atque excellens virtus: ingenium in te atque indoles ad laudem & ad gloriam singularis: cum ad hæc omnia educatio accederet, qualem existimari æquum est in sanctissima domo, atque adeò apud principem fœminam Iuliam Gonzagam, quæ eadem esse huius
seculi

seculi ornamentum vnum clarissimum & decus, patris sororem tui. Quibus fortunæ, atque ingenij facultatibus tantis, vna tamen in dies elucescebat tua virtus maior, atque animi magnitudo, ut quocunque esses loco natus, ad eum quò te virtus tua vocaret, facile videreris & tua sponte peruenturus. Itaque etsi pudore & modestia impeditus, quæ in te virtus excellit maximè, cum iam longè omnium de te expectationem magnitudine animi, & constantia superaris, debitas tibi summas laudes minùs agnoscis (neque enim permagni estimare eam gloriam potes, quam partam habes, qui speres maiorem) at agnoscunt ceteri: & quoniam agnoscunt, minùs ijdem mirantur, quæ virtus tibi & benevolentiam hominum summam, & studia conciliarit: eam vnam ut staterem te mihi esse amandum, suspiciendum, meis scriptis ornandum effecisse. Atque huius mei in te animi documenta alia multa aliquando extabunt: nunc ne viderer, id ipsum dissimulando, mihi ut satis in amore responderes, vereri: faciendum mihi existimaui, ut his meis ad te literis,

g 3 ris,

ris, de eo ipso te facerem certiore: munere etiam adiecto, quod tibi argumento esset & nunquam te, ex quo primum mihi fama tuae virtutis tanta notus esse coepisti, amari à me, & coli desisse, & constantem in posterum in te colendo, & amando fore. Nanque superiore anno cum Mediolani aliquandiu commoratus, unde per Rhetorum & Lepontiorum Alpes eram iter in Galliam Belgicam factururus, ad te salutandi causa venissem: sermone orto de Neapolitani Regni institutione, meministi te dubitare cum alijs de rebus multis, quae illius argumenti erant, tum de Normanorum Regum successione, qui primi Regni eius dicuntur fundamenta iecisse, quod quidem ad Alphonsum Aragonum Regem, citerioris ulteriorisq; Siciliae nomine vocatum est. Ita enim & leuia esse, & repugnantia, quae de ijs scriptores multi tradidissent, & quidem quanquam eorum ferè temporum aequales, ut (quod interdum esse pudendum videretur) aniles fabulas, & delirantium hominum somnia, quae essent minimè ferenda, pro veris certisq; afferrent. Itaque illud
etiam

etiam addidisti, si quis hoc tempore existeret, qui haec susciperet explicanda, quae ita sanè involuta tanquam tenebris antiquitatis essent, vix ut id crederes factu facile fore, planè illum magnam gratiam apud Regni Principes initurum. Quin etiam in me conuersus, eo vsque oratione ferebaris (credo quòd magis quid velles ipse, quam quid ego possem spectares) ut videri omnino tibi rem dignam diceres, in qua ego vires ingenij omnes industriaq; contenderem: nam & inesse in me eius rei facultatem, id quod te minimè fugeret, multorum annorum vsu comparatam, & quod caput in scribendo est, constantiam parem & fidem, ut minimè esse dubitandum censeret, ubi accederet studium, quo vno maxime res tanta indigeret, quin ego egregie scribendi hoc munus implere possem. Tum ego cum respondiissem, alterum quidem agnoscere me, de his ut summa fide possem scribere, luculenter & diserte ut possem quod esset alterum, non me esse adeò mei oblitum, ut mihi sumere auderem: ita recepi me rem totam explicaturum, ut quando intelligerem, unum

à te modò queri, non quàm copiosè id, & ornatè, sed quàm verè & constanter præstarem, non diffiderem (id quod nunc facio, seriùs quidem, quàm vellem, sed aliquando tamen) me posse representare. Etenim superiorem annum totum lustranda Germania, Gallia, Hispania cōsumpsi, cum omne autumnii tempus, ac magnam partem hyemis, periculoso ac graui morbo confictatus, in Hispania traduxissem. Sunt autem hæc à me omnia desumpta ex libro secundo de Instauratione Italiae, quem ego à multis desideratum, breui Deo immortalis propitio sum in lucem editurus. In his si studium meum tibi fidesq; probabitur, id quod magnopere fore confido, satis magnum mei laboris industriaq; fructum me cepisse existimabo. Tu interim magis, quid voluerim, quàm quid sim scribendo assecutus, tibi esse spectandum putans, fructu non quem sperabas, sed qui parari tibi mea diligentia vigilantiaq; potuit, frui, ac voluntatem meam ama. Vale.
Datum Mass. Callend. Septeuib.

EX

EX LIBRO SECVNDO IO. MICHAELIS BRUTI DE INSTAURATIONE ITALIAE.

Normanorum vno nomine populi, omnes aliquando esse appellati videntur, quicumque ad Oceani Germanici oram, præter Daniam, quam nunc appellant, & Cimbricam Chersonesum, obiectas continenti insulas, finitimasq; regiones omnes ad Septentriones incolerent. Atque hi per multa tempora, cum principio rei nauticæ periti, piraticam exercerent: Gallia Belgica maritimas vrbes, Neustriæq; in primis ob accessus opportunitatem, atq; eas quæ Armoricae appellantur, ac postremò Mediterraneum mare vniuersum latrocinij atq; excursionibus infestum habuerunt. Romano quidè Lecapeno Græcorum Imperatore, ad Helesponti angustias ausi classe penetrare, cum Græcis, quorum imminabant imperio, congressi, quanquam numero nauium superiores, magna accepta clade victi discessisse, & profligati dicuntur. Enimvero regnavit Lecapenus eodem ferè tempore, quo Oto primus Cæsar Rex Germanorum, Berengario atque Adelberto filio bello victo, ac

g s Ioanne

Ioanne duodecimo coacto Romæ se Pontificatu abdicare, Italiam Romanorum Pontificum discordijs, atque exterorum armis labefactam, magnam gloriam consensu omnium adeptus, liberavit. Per eadem tempora alia Normanorum expeditio fuisse fertur, & suscepta melioribus auspicijs, & sortita eadem eventum lætiorem. Duce enim Rholone viro fortissimo, cum iam à Caroli Crassi temporibus, magnum Normanorum nomen in Gallia esset: Neustriam à suis maioribus vastatam bello, armis occupatam, post graue & diuturnum bellum, Carolo Simplice Rege Gallorum, ita illos recipiente in fidem, vt Christiane religionis sacris initiati, in illius verba iurarent, Regem agnoscerent, ab eo vno leges, magistratus, iura acciperent, suæ ditionis atque imperij fecerunt. Ita postea regio omnis ab ijs & vno nomine Normania appellata. Sextus à Rholone Dux Normanorum Robertus, fratre Ricardo natu maiore, veneno (vt ferunt) sublato, religionis causa in Syriam profectus, aduersus leges & instituta maiorum, Gulielmum filium ex pellice susceptum,

ptum, heredem Principatus reliquit. Is ad paternas opes, ab Eduardo Rege sancto, in quem merita ingentia Normanorum & studia extiterant, relictum sibi Anglorum Regnum, summa gloria hostibus debellatis, vindicauit. At principes Normanorum, qui vt impositum sibi puerum Principem, ac minimè eum quidem iusta matre natum, molestè ferebant, ita pellere eundem Principatu Henrici Gallorum Regis gratia nitentem minimè sperabant: quod vnum erat reliquum, mitius malum esse existimantes, è medio discedere, ad nouas sedes & domicilia querenda in Italiam, ingenti popularium coacta manu, descenderunt. Horum omnium longè princeps habebatur Tancredus, vir quidem rei militaris scientia præstantissimus, & quem liberi honestabant, cum quidem XII. in eam expeditionem secum adduxisset, omnes pariter rebus bellicis clari. Ita facile Græcis bello victis, atque ex possessione Italie deturbatis, breui Apuliam omnem, magnam illam quidem hoc tempore Neapolitani Regni partem, quæ illis sedes imperij aliquandiu fuit,

fuit, armis obtinuerunt. Nam cum ab inclinatione Romani Imperij, diu Italia nationibus exteris præda fuisset: à Carolo Magno Rege Gallorum, qui primus ob præclara in Christianam Remp. merita à Leone Pontifice Maximo nomen Imperij, atque insignia accepit, Nicephoro Græcorum Imperatori, ea est Regni pars adiudicata. Quam quidem Italiae diuisionem, cum per ducentos ferè & quinquaginta annos, Principes ratam perpetuò habuissent: Normani, quorum maiores, alios duces sequuti, Gallia Togata vrbes ferè omnes sibi armis parere coëgissent, cum ijs præesset Gulielmus Ferrabatus maximus natu liberorum Tancredi, in Siciliam à Græcis auxilio vocati, Pænos, qui iam insulam omnem inuaserrant armis, vno prælio victos eiecerunt: cum magnam sibi eo bello gloriam comparassent, præmio victoria, quod quidem ob egregiè socijs nauatam operam sibi maximum spondebant, amisso. Ita orta controuersia cum Maloccho Græci Imperatoris Præfecto, Græcos iam liberiùs Normani violati fæderis per summam iniuriam, accusabant

bant: fecisseq; aduersus datam fidem querebantur, qui sociorum virtute summa partas tot Siciliae vrbes, nulla eorum habita ratione, sui iuris atque imperij, præsijs impositis, fecissent. Conuenerat enim in principio, eorum, quæ bello quæsisent, æquis portionibus præda diuisa, quarta quæq; pars Normanis cederet, qua quidem à Græcis interuersa, qui accitis Byzantio auxilijs, militum numero erant superiores, videbantur tantam eorum iniuriam minimè neglecturi. Ita in Campania coactos in aciem descendere, cum eorum, à quibus ius atque æquitas stabat, victoria fuisset, decedere victos ex Italia coegerunt. Ea victoria potitus Ferrabatus, cum Brutios ac Magnam Græciam omnem, tum eas Apuliae vrbes, quæ ad eum diè imperata facere detrectassent, suo imperio adiunxisset: honestiore titulo Apulorum Comitum se appellari in posterum iussit. Deceffit iam multis ille rebus gestis clarus, Drogone fratre, qui cæteris ætate anteibat, successore Principatus relicto. Is in Principio à Græcis duce Melete impigro homine, signis collatis victus, atque vniuersa ferè

ferè Apulia exutus, breui maioribus comparatis viribus, ter eodem die acie congressus, victoria potitur, hostesq; sua etiam confessione victos bello, & profligatos e continente expellit. At Græcus, qui simul de imperio agi, & de existimatione censeret: Bubaganum clarum copiarum ducem, qui Meletis successor bellum instauraret, aduersus Normanos, nouo exercitu conscripto, misit. Hunc Bubaganum ferunt Troiam Apulia urbem condidisse, Luceria distantem ad VIIII. mill. passuum, Dauniorum olim colonia vetustissima: quò quidem Græci receptum in posterum ad omnem fortunam haberent. Fuisse autem castra Annibalis quo loco est condita vrbs, id quod quidam tradiderunt, nullo modo audeo affirmare. Video enim castra Annibalis à veteribus vocari Locrorum portum, quà Italiam angustissimam à cætera sui parte diremptam fertur Dionysius superior Sicilia adicere voluisse. Verùm cum belli exitus haud huic melior, quàm superioribus contigisset: præter grauem impietatis notam populorum omnium in se odio concitato, quòd Pænis

hostib

hostibus auxilio fuisset vastantibus Italia oram, Henrici Caesaris optimi Principis in se Arma vertit, qui tum opportunè ad Urbem venerat, vbi à Pontifice Imperator appellatus aduersus Pænos hostes in Campaniam mouit. Ita illi ad interuentionem cæsi, cum mari victi à Venetis, & Græcis fuissent: integrum bellum gerendum Bubagano reliquerunt, Pontifice maximè in illius perniciem incumbente: quem quidem, vt æquum erat, tantum hominis scelus magnopere mouisset. Itaque eius causa Henricus, copijs Troiam adductis, cum quartum iam mensem obsessa vrbs se illi dedidisset, acceptis à Græco obsidibus, eum in fide atque in officio futurum, opportunè sitam urbem ad Græcos simul atque Apulos coërcendos, Romanorum Pontificum ditioni attribuit. Moritur iisdem ferè temporibus Drogo siue, vt à quibusdam traditum est, à Græcis victis in acie cæsus, siue, vt alij malunt, per prodicionem à Nasone Normano Neapolitanorum Principe interfectus. Nisi autem eo prælio occubuit, quo est postea Leo Pontifex in Marrucinis à Normanis captus (id quod

quod nemo tradit, quod sciam) non possum satis mirari, qui venerit cuiquam in mentem, scribere victorem in praelio caesum fuisse. Semel enim quod diximus, à Græcis fusus, ter eodem die cum ijs contulit signa, ter est victoriam adeptus. Huius Hunfredus frater successor, per septem annos, quibus Normanorum rebus præfuit, summa virtute à fratribus partum imperium, cum secunda in primis suorum voluntate, hac vna laude contentus administrasset: maiorē rerum gerendarum molem Gothifredo fratri, qui illi in imperio successit, moriens reliquit. Nanque Leo nonus Pontifex Maximus Normanis iratus, quoniam Beneuentum, quæ vrbs Romanorum Pontificum imperio parebat, Duce Gisulpho Principe Salernitanorum inuasissent: fretus auxilijs Germanorum, qui ab Henrico secundo Cesare erant præsidij causa in Insubribus relictī, illis intulit bellum, cum non diffideret, semel praelio victos, ex Italia eieciurum. Occurrerunt illi Normani in Marrucinis ad urbem Theate, ingentibus instructi copijs: ac memorabili praelio commisso, victis Ger-

manis,

manis, Leonem captiuum, cum humanis omnibus & diuinis honoribus cultum dimisissent: Romam etiam deducendum, stipatum præsidio suorum, curauerunt. Qua tanta victoria Normani cum animos sustulissent: iam subnixi domesticis viribus, omnem externam vim aspernaturi videbantur. Neque enim solum erant hostibus formidabiles, quos sæpe armis vicissent: sed ita moderatè in Pontificem victoria vsi, per quandam clementia opinionem, sibi populis conciliatis, Principes magno omnium consensu in Italia habebantur. At paulò post Gothifredus è vita discedens, ac per aliorum contemptionem, ausus improbare receptum iam à Normanis institutum, fratribus succedendi, testamento Bagelardo filio, tantam iniuriam molestè ferentibus omnibus, Principatum legauit. Quam fratris cupiditatem atque ambitionem, utcumque alij sibi dissimulandum censerent: Robertus Uiscardus, cuius tum erat ius successionis, minimè tulit: vir acerrimo ingenio, & qui longè omnium virtute, ac magnitudine animi præstantissimus haberetur. Igitur in principio,

h die

deiecto Bagelardo, Nicolaum secundum Pontificem, qui alieno animo in Normanos erat, per legatos exoratum, ut in Apuliam ad res componendas veniret, cum illi Amiternum in Vestinis occurrisset: aduenientem sibi omni genere officij et humanitatis conciliauit: summa cum fide illi omnibus restituitis, quaecumque ad eum diem Normani Pontificibus ademissent. Qua animi equitate tanta, cum praeclare visus esset de Pontifice mereri, inducto decreto, quo Normani erat à sacris interdictum, in fidem & clientelam accipitur, atque honore auctus, cum superiores dicti Comites fuissent, Ducis Apulorum appellatur. Hinc Nicolaus delectis Normanorum à Roberto acceptis, quorum armis maiestatem Pontificiam à Populo Romani, & Principum contumacia vindicaret, Romam discedit. Ubi cum minime frustratus sua spe, tumultuantem populum, circumiectasq; vrbes, quae ab illo defecerant, redire ad officium coegisset: biennio post decessit. At Robertus, dum ea Romae gerebantur, augendo imperio intentus, Acheruntiam urbem, quam nostri

homi

homines Materram vocant, atque ea multo opulentiozem Tarentum, voluntate vtraque oppidanorum recipit: exigua iam Apuliae parte Graecis relicta. Neque his contentus, Alexandro secundo Pontifice Romae, in Insubribus Honorio per Cardinales aduersarum partium creato: Graecos imparatos aggressus, qui ad Vestiam urbem duce Ciriaco constituerant: eo in potestatem redacto, ac recepto oppido in fidem, copiarum partem Barolum traduxit, quò quidem conuenisse audierat, quicquid roboris Graeci reliquum in Italia haberent: simul negotium dat Rogerio Bossoni fratri, viro magnitudine animi & virtute praestanti, ut terra mariq; obsessam Brundisium, antequam hostes animum colligere à pauore possint, maritimam urbem & maxime Graecis opportunam auxilijs, commeatibusq; excipiendis, in potestatem redigendam curet. Interim ipse vndique urbem, quae ad mare spectat, ne aditus importantibus commeatum pateret, onerarijs nauibus ferreis catenis reuinctis, claudit, Graecosq; obsidere parat: qui quidem vltima passi, triennium continuata

h 2 obsid

obsidione, illius fidei se, suaq^{ue} omnia permiserunt. Ita postremo omnibus ferè Apuliae urbibus venire in deditiorem coactis, atque ijs Ricardo fratre præesse iusso: Gothifredum eodem nomine fratrem alterum, cum classe Rhegium ad fretum Messanae proficisci iubet, cuius urbis potiunda cupiditate iam Sicilia imminens, maximè ob transmissionis opportunitatem, tenebatur: ut eodem tempore terra mariq^{ue} urbs circumfessa, sese dedere omni spe auxilij præcisa, cogeretur. Hinc cum iam maiora animo agitaret: in Siciliam, relicto Bossone fratre ad urbis obsidionem, cum parte copiarum freto superato, Panormum transmisit: ubi ea urbe potitus esset, quæ post deletas Syracusas princeps in Sicilia sine controuersia haberetur, quin se alia dederent, nihil moræ esse facturæ arbitratus. Quæ dum ille ad hunc modum administrat, Ricardus frater Pontificum dissensione pro occasione usus, cum iam Capuam de improviso occupasset, recepta Beneuento, quam urbem Nicolao Pontifici, fœdere icto, à Roberto restitutam paulò antè commemorauimus, Ceperanum mouit: quæ
noua

noua urbs in Pontificum ditioe, ad VIII. mill. passuum Fregellis abest, vetere colonia Romanorum, nisi Mathildes cum Gothifredo viro, atque Ildebrando Cardinali legato Pontificis, victori instructa validis copijs, occurrisset, omnia ad Urbem vsque, eodem victoriae cursu, Pontifici adempturus. Ita in præsentia ferocia repressa, cum hostem retrò cedere in Apuliam coëgissent, facile illi amissa oppida receperunt. Iam Robertus Panormo discedens, cum sua spe diuturniorem fore obsidionem animaduerneret: fratri imperat, ut, dum ipse absit, operibus munitionibusq^{ue} inclusos partim cum multitudine, partim cum Principibus agendo, trahere ad voluntariam deditiorem conetur: ipse cum delectis militum in continentem freto transmissio proficiscitur. Hinc per vim Rhegio expugnata, Fanum Seuerinae, & Calabrorum Brutiorumq^{ue} urbes omnes, quæ Grecis parebant, deuictas in fidem recepit. Quibus ita administratis, Trantum copias admouit, quam urbem, cum annum ferè obsidionem tulisset, eodem tempore, quo Gothifredus Panormum in Sicilia, datis
h 3 obsidi

obsidibus, imperata facere coëgit. Ita Robertum magnitudine rerum gestarum longè clarissimus, cum ubique victor longè lateq; fines imperij produxisset: Apulorum, Calabrorumq; Dux, id suis omnibus ad unum exposcentibus, appellatur. Qui res eorum temporum scripserunt, cum in alijs multis, tum in Brundusij maxime obsidione hærent. Ut enim illud conuenit, à Roberto Bossonem fratrem præmissum, qui terra illam mariq; obsideret, quod verti ea in re totius belli summam non ignoraret: ita qui exitus rei fuerit, utrum soluta obsidione, an vrbe recepta, discessum sit (id quod tamen verisimile videtur, cum quidem, nisi ea redacta in potestatem, spes omnis adempta Roberto videretur reliqua Apulia potiundi) nemo tradit. Fabulam quidam gesta rei affingunt: cum Rogerius per ciuium colloquia in spem venisset, per prodicionem vrbem recipiendi, lectorum militum ad LXXX. ex quibus plerique ex Normanna nobilitate principes haberentur, in vrbem receptos, cum ceteri, qui sequebantur, arbitrati fraudem abesse, & propterea minus cauti, facile ex-

clusi,

clusi, portis repente repagulis claustrisq; obiectis, à suis essent, fæde interfectos: capita Byzantium ad Imperatorem relata: immane fœdumq; spectaculum non Græco solum homini, sed, id quod ea tempora ferebant, barbaro atque efferato ingenio, prorsusq; degeneranti in Thracum morem futurum. Enimvero quanti erat ea voluptas apud Principem tantum futura, cuius ut animus ea expleretur, per tantum maris terrarumq; spatium, octoginta hominum capita, madentia sanie & cruore, essent in conspectum deferenda? Eodem videtur spectare fabula de thesauro à Roberto inuento, cum index statua è marmore, redimito capite aenea vitæ, in qua rem totam incisum carmen significaret, Pænus Magus nescio quis interpretis fuisset: qui tantum ob meritum effosso inuentoq; thesauro, manumissus sit. Quæ quàm sint vera, viderint ij, qui ea non solum legere, sed probare etiam æquo animo possunt. Ita rebus in continente ex sententia gestis, in Siciliam exercitum traduxit, Betimino Pæno, magna apud suos homine authoritatis, spem faciente,

cùm Siculus in rerum nouarum expectationem erecti, ad defectionem spectarent, breui insulam barbaris deiectis recipi posse. Is à Biscavetio Rege Pænorum rebus mari gerendis præfectus, cùm eodem tempore Rogerius Calabris præesset, Siciliam cum imperio administrabat. Itaque adito Rogerio, cùm quid consilij sui esset, exposuisset, per eum, Robertum certiozem facit, atque, vt primo quoque tempore in Siciliam transmittat, hortatur, vbi rem statuat sibi esse agendam, pollicitus se ei minimè defuturum. Hoc duce Robertus, principio à Messana factò, quam quidem urbem momento cepit, ad cæteras vrbes arma circumferendo, cùm memorabili pugna Pænos victos debellasset, facile insulam omnem Barbarorum metu liberatam suo imperio adiunxit: qui se illius fidei permisissent, ijs nonnullis oppidis, ita vt stipendiarij in posterum Normanorum essent, ad habitandum concessis. Tanto bello ita facile, & ex sententia confecto, ad cæteras laudes, moderationis summa gloria parca, Siciliam Rogerio, cuius eo bello insignis fuerat virtus, cum imperio administrandam

strandã attribuit. Iam cùm esset Normanorum tantum in Italia imperium, Gregorius septimus Alexandro secundo Pontifex suffectus, cuius legatus Ricardum Roberti fratrem Pontificũ imperio armis imminentem, in Apuliam Mathildis copijs fretus reiecerat, coacto Romę cõuentu vir acerrimus ac veterum iniuriarũ memor, aqua & igni Roberto Normanisq; interdixit: cùm adesset Gifulphus Normanus Salernitanorum Princeps Giliardæ Roberti vxoris patruus: id quod minimè esse ferendum Roberto videbatur. Itaque cùm Gregorium Henrici tertij Cesaris inimicitia graues & simultates exercerent, quòd nihil ab eo equi impetrare posset, vetere inimico antequàm esset etiam Pontificatum adeptus: adesse occasionem rei gerendæ arbitratus, Gifulphum aggreditur, ac Salernum per vim capit: eo ipso, cùm arcem recepisset, in potestatem venire coacto. Qua vrbe potitus, Beneuentum, eò copijs adductis, oppugnare instituit, inceptisq; fortuna affuisset, nisi à Gregorio iam sua sponte mitius cum eo agente, soluere obsidionem persuasus, aliò arma vertisset.

Erat per ea tempora Michael Diochrysius Graecorum imperio à Nicephoro Botaniate erectus: quem nonnulli Parapinacium appellant, quòd eo administrante imperium, in magna populorum inopia & fame, caritas annonae summa diuturnaq; fuisset. Is Roberto conuento, qui caeteris oppidis Graecis ademptis, quae reliqua in eorum ditione erant, ad Tarentum, quae defecerat, castra habebat, cum bene de suis rebus sperare iussus esset, ad Gregorium cum mandatis proficiscitur: quorum summa erat, ut Robertum in fidem receptum, antiquato decreto, quo Normanos à sacris arcuerat, redire secum in gratiam pateretur. Cuius rei aequè cupidus Pontifex, quem simul populi Romani arma, & Henrici Caesaris timentem quantumvis parua accessio posse de medio tollere videretur: Ceperanum Robertum accitum, cum in illius verba iurasset, ad reducendum Parapinacium, iam sua sponte per hanc occasionem Orientis imperio adiucientem, longa oratione adhortatus dimisit. Ita Robertus magna comparata classe, in Epirum profectus, cum Dyr-

rha

rhachium, quae vrbs cum Nicephoro sentiebat, terra mariq; artèssimè obsideret: commissa cum Graecis nauali pugna, quibus Veneti magno numero nauium auxilio venerant, insigni accepta clade, victus discessit. Mox relicto Boemundo filio, cum maiore exercitus parte, qui, dum ipse adesset classi reficienda intentus, terrà ferre operem obsessis prohiberet: Alexium Comenum, qui per summum scelus pulso Nicephoro imperium inuaserat, maximis instructum copijs reuersus deuicit. Atque eo in praelio Parapinacio interfecto, cuius reducendi causa videri volebat Graecis arma intulisse, Dyrrhachium cum vniuersa Epiro, ac magna Illyrij parte suo imperio adiecit. His rebus gestis ad liberandum Gregorium Pontificem mari transmissis, ad Urbem Henrico Casari occurrit: qui non expectato illius aduentu, cum subito Roma discessisset: Gregorium in arce Cincij obsessum reliquit: quem rebus suis diffidentem, ne sepius Populi Romani fidem experiri cogeretur, Salernum secum adduxit. Ita magna gloria pulso Henrico ac Pontifice liberato, cum Boemundum

dum

dum, qui terrâ rem gerebat, satis copiarum habere, atque hosti esse viribus parem non dubitaret, ne classe inferior, ubi ea parte virium periculum faciundum esset, cladem acciperet, maiore, quàm antea, nauium numero parata instructâq; classe, in Epirum soluit. Cuius discessu cognito, duæ classes Venetorum, Græcorumq; coniunctæ Dyrrhachium, quò cursum direxisse illum audierant, ad fauces portus occupandas transmittunt, eo consilio, ut si hostis vim facere conaretur, manum confererent. Non defuit Robertus facientibus pugnae potestatem: prælioq; acriter commisso, cum in litore Boëmundus cuiusque virtutis spectator instructo exercitu adesset: quæ res Normanis pugnandi alacritatem atque animi ardorem ingentem iniebat, omnibus ferè hostium nauibus aut depressis, aut in fugam coniectis, victoriam retulit, cruentam illam quidem, sed quæ illi aditum ad Græcorum imperium, nisi mors immatura cõtigisset, breui esset patefactura. Perculit ea clades Venetos in primis, quibus Roberti opes inuisæ, nisi illi maioribus viribus obuiam

iretur,

iretur, vniuersæ Italiae etiam viderentur formidabiles futurae. Igitur Dominicum Syluium reipub. Principem quo duce male pugnatû ad Dyrrhachium erat, ignominia notatum, magistratu se abdicare cogunt: ac Vitalem Falerium illi suffectum, nouam classem parare, ac primo quoque tempore ducere in hostem iubent. Hoc duce neque melioribus auspicijs pugnatum est, neque pugnae euentu secundiore: cum Alexius maioribus etiam viribus contractis, cum Græcorum militum robore affuisset: ita vtraque classe disiecta, victor Robertus iam, nullo prohibente, Græco Imperium erepturus, ad Cassiopolim (Orçyræ promontorium) classe appulsa magno suorû mœrore, febre correptus interijt. Roberto mortuo, cum Boëmundus, ad quem natu maiorem paternum imperium iure gentium spectabat, abesset magnis gerendis rebus in Illyrio intentus: Rogerius, per fratris absentiam nomine illius cupiditati obuiam ire, ac contrâ ferre arma audente, Principatum occupauit. Importuna hæc Rogerij ambitio Boëmundum minimè dubia spe deiecit, Græcorum

impe

imperij potiundi. Nam præter cæteras clades Græcis illatas, quibus illi fessi pacem atque otium respiciebant, insigne odium populorum in Alexium, magis illum in dies ea in spe confirmabat. Verùm cum fratri iratus, id vnum rebus omnibus sibi esse præuertendum censeret: cæteris in præsentia omisis, exercitum classe Hydruntem transportauit, minimè ignarus, vbi ex Epiro soluisset, id quod accidit, ad Græcum ciuitates omnes vno consensu defecturas. Quibus rebus administrandis dum ille est occupatus: Rogerius ex Populi Romani, & Pontificum discordijs occasionem nactus augendi paterni imperij, partim vi, partim deditione ciuitates Pontificis omnes Velitras vsque & Tybur victor progressus, parere suo imperio cœgit. Qua hostis audacia territus Urbanus secundus, qui Victori tertio surrogatus Pontificarij Romæ gerebat, veritus, ne, vbi diutius in Urbe moraretur, materiam sciuendi, Romanis per belli occasionem præberet: Melphim, quò Patrum conuentum indixerat, relicta Urbe concessit. Quæ, dum ab illo geruntur, Boëmundus vno
 pralio

pralio de summa rerum dimicaturus, ad Farnesium agri Beneuentani vicum, vbi fratrem substitisse audierat, castra mouit. Ita cum duo fratres acie concurrere parati essent: veterani, qui duce Roberto patre, clarissimo Imperatore, magnis rebus terra mariq; gerendis tatum Normanorum Imperium fecerant, cum fraterna odia execrantes ad fœdus, ad pacem, ad reconciliationem gratia hortaretur: vtrunque prehensando, obsecrando, iras permulcendo peruicerunt, vt in præsentia positis armis diuidi paternum Imperium per communes amicos arbitrosq; paterentur. Itaque Rogerio cum maiore imperij parte (per quam causam non traditur) obtigit etiam Imperij nomen: Boëmundo præter Tarenti Principatum, certa sunt Apulorum oppida attributa. At is inique agi secum, ac violari ius gentium quereretur, & quoniam fratri ætate anteibat: & verò quoniam merita illius maiora in Normanos extabant: sibi paterni imperij iura vindicabat. Itaque Rogerio decedente in Sicilia per causam recipiendi Syracusas, quæ vrbs Roberto mor-

tuo à Normanis desciverat : Melphim, iam inde Urbano profecto, repente occupatam armis inuadit. Cuius rei nuntio accepto : Rogerius, qui iam Sicilia rebus compositis in Italiam victor reditum parabat, ne, si rem differret, frater, quem iam in armis esse, & rem gerere audiebat, illius cunctatione pro occasione vteretur, omnino sibi maturandum esse existimans, in Italiam transmisit : cum præter Pœnorum X X. millia, quos secum ex Sicilia aduxerat, Brutiorum, Salentiorum, Lucanorumq; voluntarios, tum ex Apulorum urbibus, quibus ipse imperabat, permultos in exercitu haberet. Normani enim cum fratrum bellum detestantes, tanquam graue, atque exitiosum publicis rebus, è medio discessissent : taciti rei euentum, tristem æquè, vternis alterum vicisset, expectabant. His copijs fretus aduersus fratrem mouit : quem quidem imparatum, ac nihil minùs, quàm fratris aduentum expectatam, cum ille famam adueniens, & nuntios celeritate summa vsus præcurrisset, in urbem compulit, ac veritum se pugnae committere corona obsidere instituit,

stituit, summa quidem spe, id quod minimè difficile futurum videbatur, in potestatem fratre venire coacto, quem maximè vellet finem bello impositurum. Quæ dum in Italia gerebantur : cum Urbanus secundus profectus in Galliam (coacto in Aruernis Principū conuētū) magna omnium alacritate, decernendam in Asiam expeditionem aduersus Syriæ, atque Aegypti Reges curauerat. Horum enim tum imperio Hierosolymorum vrbs parebat, quæ diu Christiano nomini summa ignominiae labe hærente, per Regum ac Principum discordias, immani intolerandoq; imperio premebatur. Itaque cum eius expeditionis Princeps, Hugo Magnus, cuius Philippus frater Rex Gallia imperabat, atque Aniciensis Pontifex in Apuliam, vnde exercitum Apolloniam classe transportarēt, opportunè venissent : Boëmundus siue (id quod probabile est) suis rebus, de-improviso à fratre oppressus, diffideret : siue illum iam pietatis studium, atque admiratio summorum hominum cepisset, qui pro religionis maiestate tuenda in adeò longinquam expeditionem profic

proficiscerentur: honestissima oblata occasione belli cum fratre finiendi, quicquid iuris in paterno Principatu haberet (lætāribus maxime Normanis, hunc belli exitum inter duos fratres sequutum esse) sua sponte Rogerio concessit: ipse voluntariorum XII. millibus assumptis, in his Tancredo, & Guliermo sororis filijs, qui comites expeditionis essent, in Asiam transmisit. Eo in bello magnitudine rerum gestarum longè clarissimus Antiochie Princeps, à nostris per vim vrbe expugnata, magno est Principū consensu declaratus. Piget referre quæ de Boëmundo, atque origine Normanorum à Benedicto Accolto traduntur, qui belli sacri historiam conscripsit. Nihil illi conuenit cum Gallis scriptoribus, nihil cum nostris: non de Normanorum aduentu in Italiam, non de Uiscardo, non de Rogerio, non de Boëmundo filio: ut cum diuersa penitus ab alijs tradat, nisi quis vnius autoritate stare aduersus tantum scriptorum consensum malit: non possit satis mirari, hominem grauem præsertim, & non ineruditum, cum ea ab alijs mutuatus esset, quibus

bus illi minùs cum cæteris conueniret (id quod declarande illius fidei videri satis posset) autoris nomen, quem sequeretur, tradere neglexisse. Nam Guliermus Tyrius, qui post cæptum bellum anno ferè octogesimo, cum ipse Balduini Regis tempore Tyriorum Pontifex fuisset, tribus & viginti libris eius gesti historiam complexus est, tradit Tancredum, qui Boëmundo comes expeditionis fuit, non Rogerij fratris, id quod nostri prodiderunt, sed sororis filium fuisse: quod quidem mihi magis probabile videtur. Neque enim cadebat in hominis ingenium, ut filium vnicum (Gulielmum enim postea suscepit, ex Hala filia Roberti Frisij, qui rerum in Flandris potiebatur) per causam tam longinquæ expeditionis à se diuelli pateretur. Huius autem Tancredi Guliermum fratrem adolescentem optimæ spei, & Tyrius, & qui eum sequitur, Paulus Aemylius Luculentus in primis Gallicæ Historiæ scriptor tradit non procul à Nicha vrbe, nostris à barbaris circumuentis, fortissimè pugnantem occubuisse. Utrunque autem Tyrius affirmat, ex Gulielmo

Marchione Normano, & Uiscardi filia susceptum fuisse: ut facile hinc conijci possit, nostros, qui neque Gallorum annales, neque Normanorum, cum eius linguae imperiti essent, legere potuissent, in rebus eorum explicandis deceptos saepe allucinatosque esse. Nam Aemylius, qui omnes diligentissime excussit, tradit ad duos fratres adhuc bellum gerentes, antequam e Gallia mouerent, legatos viros graues & honestos Principes misisse: quibus authoribus, armis positis ac foedere percusso, pacem inierint. Ita ante Principum aduentum in Italia, id quod magis verisimile est, omnibus per otium comparatis, quae necessaria bello gerendo essent: non Tancredo solum, sed Gulielmo eius fratre sonorisi filio, tum Ferrabarij duobus Ricardo, & Ramnufio, quorum patruelis erat, aliisque Normanorum Principibus socijs belli assumptis Boemundum ex Apulia soluisse. Interea illo magnas res in Asia gerente, Rogerius Bossio Uiscardi frater, quem egregie meritum de Normanorum rebus, Siciliam Roberto permittente cum imperio obtinuisse commemorauimus, graui

orta

orta controuersia cum Rogerio Apulorum Duce fratris filio, exercitu in continentem traducto, Cannusium in Apulia post longam obsidionem ceperat: qua in vrbe breui postea victor decessit. Verisimile est, tametsi hoc ipsum nemo scriptum reliquit, quae causa Uiscardo fuit Bagelardum Gothifredi filium Principatu per iniuriam partopellendi, cum minime obscure praese ferret, sequutum se superiorum morem, non passurum, ut quaesitum fratrum virtute imperium, maiores natu liberis legarent: Bossioni quoque visam causam equam esse, ereptum fratris filio, sibi proximo etate vindicandi. Nam iam antea minus inter eos conuenisse, illud fidem facit, cum Siracusa defecissent, patruo, cuius praesertim egregia virtus bello Punico in Sicilia extiterat, haud esse negotium datum vrbi recipienda, sed rem transactam per Rogerium esse. At de hac ipsa re mirum est apud eorum temporum scriptores silentium. Interim in Italia magnis rebus gestis per XXV. annos, quibus administrauit imperium, Dux Rogerius moriens filium Gulielmum, multum illum

1 3 à const

à constanti & perenni illa maiorum virtute degenerantem, ac minimè tanto gerendo imperio parem relinquit. Itaque, præter Siciliam, quam Rogerius Bossonis filius præsidys tenebat: acerrimus vir & æmulo imperij, qui tãtas opes etiam animo, & virtute æquaret, formidabilis, brevi quicquid in continente habebat, per summam ignaviam amisit. Cùm enim spe Regiarum nuptiarum illectus Byzantium navigasset: Rogerius in omnem occasionem benè gerenda rei intentus, illi facile Apulorum, Calabrorumq; vrbes omnes ademptas sui iuris atque imperij fecit. Ita Gulielmus parum præsidij expertus in Calisto Pontifice, cuius fidei discedens paternum imperium commendauerat, & nuptiarum spe excidit, quæ vna illi causa fuerat proficiscendi, & vniuerso exiit principatu, Salerni nullis superstibus liberis, mœrore animi & angore confectus decessit. At Rogerius rerum potitus, cùm diu in armis fuisset, Innocentio Pontifice, qui Normani imperij ius ad Romanos Pontifices pertinere contendebat, acerrimè illum bello persequente, primum

ab

ab Anacleto, qui (capto Innocentio à Gulielmo Rogerij filio, cùm ad patrem obsidione liberandum in Campaniam profectus esset) Pontificatum Roma inierat, Rex Siciliæ appellatus, & postea à Celestino surrogato in demortui Innocentij locum, tum ab eo, qui Celestino successus est, Lucio secundo confirmatus, Regnum iam omni superata invidia, dignus, cui ob excellentem virtutem tantus honor haberetur, obtinuit. Iam enim Innocentius à Rogerio captus, ac summo in honore habitus, cùm magno illi in principio beneficio obstrictus, minùs sibi standum suo iudicio, atque vtendum ingenio censeret: vbi primum ab illo digressus ad Urbem redijt, atque Anacletum renuntiatum aduersus se Pontificem cognouit: Pisanorum classe in Galliam transmisit, atque inde auectum Lotarium Cesarem, ea lege Imperatorem appellatum Regni infulis, atque insignibus ornavit, vt Rogerium bello persequutus, quem ab Anacleto stare molestè ferebat, imperio omni, atque opibus spoliatum finibus Italiae arceret. Ita Rogerius subito bello oppressus, cùm

i 4 in præ

in presentia esse temporis cedendum putaret, ita omnia in continente prædæ hosti reliquit, ut multò maiore sua gloria, armis recuperaret, spem omnem Pontificibus præciderit eadem in posterum tentandi. Atque quanquam per Pontificum arma, quibus primis Regni auspicijs erat usus parum æquis, frui per otium parto imperio liceret: vir peracri ingenio, & magis bellicis artibus, quam pacis studijs clarus futurus, haud diu quiescere, aut tueri domesticum otium potuit. Gessit enim Rex Punicum bellum, & quidem summa gloriâ præter Tripolim, Faxum, Aphrodisiû, Capsam, Tunete Regia vrbe capta, ac coacto barbaro Rege in XXX. annos ab eo tempore tributum Siculis Regibus pendere. Aliam inde expeditionem suscepit aduersus Emanuelem Græcorum Imperatorem memorabilem in primis, cupido sua sponte Regis bellum gerendi, per nequissimi hominis scelus atque improbissimi magna occasione armorum oblata. Is enim Ludouico Gallorum Regi, ac Conrado Cesari, magnis contractis copijs euntibus nostris auxilio, qui parum secunda fortuna bellum

in

in Asia cum Barbaris gerebatur, cum simulatione officij deceptis duces itineris dedisset, qui per deserta atque inculta loca, hostibus barbaris interceptos insidijs proderent, magno quidem Christianæ reipub. incommodo, ubi res illi ex sententia successisset, penè quidem exitio fuit. Eousque autem dicitur progressus amentiam esse, ut laborantibus fame, quò fessi alijs cladibus citius tollerentur: immistum farinae gypsum, inter cetera genera comæatus, venalem à suis exponendum curavit. Improbum quidem fuisse hominem, & malo ingenio non solum alij affirmant, sed Gulielmus Tyrius etiam, qui eius fuit æqualis, & illum cumulat maximis laudibus. Etsi autem minùs aperte, veritus (credo) inconstantie opinionem, reum illum tanti sceleris facit: at minimè tamen suspicione liberat. Aduersus hunc hostem, cuius tanta maleficia in Christianam Rempub. essent, in primis secunda hominum famâ bellum gessit: atque insulas ferè omnes ab Ionio mari vsque ad Helespontum, vrbus omnibus per vim expugnatis, & dirèptis, in his Corcyram, Corinthum, atque vniuersam

i s uersam

uersam ferè Peloponnesum, tum Eubæam omnem ferro, igni, omniq; cladis genere vastauit. Neque his satis expleto animo, cuius inexpiabile odium in Græcum esset, classe Byzantium prouocatus, cum expositos milites ad suburbia adduxisset (tanta fuit hostis inertissimi, & ignauissimi contemptio) argentea, atque aurea tela à suis iacienda in hortos regios curauit: credo, præter potentia ostentationem, ut auaritiam & sordes Græco exprobraret, quibus, ut nemo alius, dicitur infamis fuisse. Postremò ipse cum amicis ingressus, poma, quæ visum est legere, cum nemo adesset qui prohiberet, per otium decerpit. Colenutius rerum Neapolitanarum scriptor, gloriam recepti Ludouici Regis, cum quidem Selencia classe soluta, captus à prædonibus fuisset, Rogerio attribuit: id quod Blondus tradit, quem omnium, quæ scribit, authorem habet. Gallici scriptores, atque in his quidem Aemylius, cui ego plurimum tribuo, ita Rogerio liberati Regis laudem impertiunt, ut tamen aliter, quàm ab his proditum est, rem esse gestam tradant. Regiam classem cursum in Græciam

ciam tenentem, repente à classe Græcorum interceptam, quæ illius aduentum operiens in insidijs stabat, cum flectere cursum Byzantium cogeretur, subito interuentu Georgij Præfecti Siculi Regis, qui maiore nauium numero classem aduersus Emanuelem ducebat, liberatum in Siciliam, atque inde Massiliam soluisse. Tum quidem Aemylius ait, Siculos aureis sagittis in hostem immisis, cum eum ad prælium prouocarent, in fugam pugnam detrectantem auertisse. Atque illud etiam Colenutius affirmat, cum Rogerius liberato Rege Siciliam repeteret, certiore factum Venetorum Græcorumq; classem altum tenere, ijs vltro occurrisse: commisso prælio, atque vna de viginti nauibus amissis, reuersum in Siciliam, Panormi magno sui desiderio Normanis relicto decessisse. Sed & hoc ipsum minimè verisimile est. Nanque eo tempore Veneti Emanueli infesti, quod in Henrico Dandulo ciuitatis legato ius gentium violasset, ac Venetis negotiatoribus per summam iniuriam vno atque eodem die comprehensis, in eorum bona & fortunas inuasisset, bellum

bellum intulerant : quo tandem victus, atque facta aestimatione eorum quae abstulisset, restituere quae cuiusque fuissent, per aequas pensiones est coactus. Moritur Rogerius ad sexaginta annos natus, cum quartum & vigesimum regnasset, Conrado Cesare Sueuo annum duodecimum Imperium administrante. Fuit quidem (id quod indicant tot res ab illo praclare & feliciter gesta) optimo atque excellentissimo ingenio : cumque ea, quae à natura haberet, studio atque industria meliora effecisset, omnibus belli & pacis artibus maximos eius aetatis, potentissimosque Reges magnitudine imperij aequavit, gloriâ rerum gestarum longè etiam antecelluit. Erat enim in eo praeter ingenij solertiam, quae ineundo pariter, explicandoque consilio summa conspiciebatur, moderatio par, qua quidem animi vi concitatio repressa, homo per se, ut caetera etiam abessent, prudentissimus, & quem rarò fortuna sefellisset, & parere meliorum consilijs, & agere omnia de eorum sententia posset. Nam quo ijs fides esset in consulendo maior, quicumque per ea tempora anni

belli

belli gloria, aut prudentia & rerum usu praestare maxime dicebantur, euocatos eos praemijs amplissimis, summo in honore habuit. Quae res cum est semper magno vsui hominibus in privata vita, tum verò magnis administrandis imperijs non magno solum vsui est, sed in primis est eadem etiam necessaria. In iure dicundo, id quod in nouo Regno esse necessario agendum videbatur, cum infesta Sicilia latrocinijs, atque armis exulum esset, acrior interdum, & vehementior est visus, quò improbi homines à male agendo deterrentur, grauissimis supplicijs in eos constitutis, & quae nemo antea excogitasset, qui maleficia grauiora & scelera admisissent. Virtia in eodem nulla, quae insignia foeditate essent: etsi enim paulò procliuior fuisse ad libidinem fertur, sine cuiusquam contumelia, fuit haec illi vni capitalis pestis : cum quidem grandis iam natu, aliquantò licentiùs, quam affecta senis vires postularent, libidinis illecebris captus, ingenio obsequeretur. Filios quidem tres suscepit (quod tradit Hugo Falcandus grauis author, & illius aequalis) feminam vnam. Ex his,

qui

qui maxime probari poterant patri ob ingenium
 atque animi indolem excellentem, Rogerium
 Apulorum Ducem, Amphulsum Capua Prin-
 cipem extulit: Gulielmum Principem Tarenti-
 norum, fero atque immani hominem ingenio,
 unde magna populorum consensione Mali cogno-
 men traxit, cum viuens appellandum Regem cu-
 rasset, in Regni societatem, atque imperij ascivit.
 Nam Constantia, quae male à quibusdam illi ne-
 ptis fuisse ex Rogerio filio tradita est, Henrico
 Caesari nupsit Aenobarbi filio, qui primus gentis
 Sueuorum Sicilia Regnum, deiectis per Pontifi-
 cum studia Normanis, obtinuit. Magni quidem
 hominis memoria, cum tanta illius gloria domi
 forisq; extitisset, ut clarior posteris & admirabi-
 lior videretur, filij immanitas in omni etiam bar-
 barie detestanda, & nequitia perfecit. Cum enim
 beatissimus Regum omnium suae aetatis, & opu-
 lentissimus videri posset, congestas à patre per
 multos annos immensas opes: atque, quod multa
 grauius est, quorum erant virtute parte, viros
 fortissimos & honestissimos, ubi penes unum im-
 perium

perium mansit, aut foede interfectos, aut per va-
 rias occasiones de medio sublato, euertit. Uni
 enim homini improbissimo, & malis illi artibus
 conciliato, cum quidem dissimulantem imperij
 cupiditatem, obsequio & assentatione pernitiōsa
 seriel animo victo, agnoscere haud facile posset,
 potestatem omnem imperij administrandi, ipse
 turpi otio atque ignauia deditus, magno sui ac
 totius Regni discrimine permisit. Erat is Maio
 quidam ex humili admodum fortuna, cum pater
 Barij tabernā olei instructa questum sordidissi-
 mum fecisset: per Regis gratiam aerario primum,
 ac postremo classi Regiae praefectus. Qui quidem
 honos elato homini fortuna temeritate eos spiri-
 tus, & fiduciam attulit, ut de medio sublatis qui-
 cunque illius cupiditati impedimento esse per pri-
 uatam potentiam viderentur, partim sibi multi-
 tudine largitionibus concilianda, partim suppli-
 ciorum immanitate principibus deterrendis, iam
 de inuadenda tyrannide, atque interficiendo Rege
 consilia agitare spe animisq; inflatus instituerit.
 Eo autem dicitur hominis amentia erupisse, ut
 cum

cum iam id minimè dissimulanter præ se ferret, & mentionem facere cum amicis de Regno illi abrogando, & tueri exemplo etiam ambitionem, cupiditatemq; animi tantam sit ausus: cum Gallorum Regnum, memoria maiorum, per Magistros Equitum, Regibus luxu atque otio perditis, administraretur: à Zacharia Pontifice Maximo, Pipinum Caroli Martelli filium viri fortissimi, privato Chilperico Regia dignitate (quod genti Gallorum faustum foelixq; fuit) ad Regnum euectum. Atque cum hos inter amicos sermones seribat, tum ab ijs per interpositam iurisiurandi religionem, fidem accipiebat, socios futuros ad Regnum à Malo vindicandum, ubicunque gerenda rei occasio atque opportunitas adesset, quæ viris fortibus minimè diu videretur defutura. Quæ hominis libido atque audacia tanta, cum Regis indulgentiâ grauior in dies fieret: Regni Principes, quorum saluti, & dignitati plurimum domesticæ opes & potentia obesset, à Rege, quando in eo nihil erat præsidij aduersus imminentem suis capitibus ruinam, plurimum erat ab eodem peric

periculi pertimescendum, vno & eodem consensu defecerunt. In his omnibus maxime excellabat Robertus Lorotelli Comes, cuius auunculus Rogerius Rex, ob singularem virtutis opinionem, Gulielmo filio, vbi is parum ex usu suorum Regnum administraret, heredem substituerat. Huius authoritatem duo Rogerij filij Apulorum Ducis Tancredus, & Gulielmus, ac prætereà alij multi sequebantur magnæ homines nobilitatis, qui esse minùs tuti à Maionis scelere & libidine videbantur. Ab his primùm Aenobarbo Cesare, atque eo, cum exercitus pestilentia laboraret, coacto retrò signa referre, Græcis auxilio euocatis, Gulielmum in Regni discrimen vrbibus omnibus trans Messanæ fretum vno belli impetu captis, breui adduxerunt. Atque quò omnia faciliùs ex sententia succederent, vbi gerentibus bellum maior authoritas adesset: adito ad Fanum Germani Adriano Pontifice Maximo, cum in illius verba iurassent, quâcunque peruaderent edicto præmissa, se de Pontificis Maximi sententia bellum gerere, populos, qui sua sponte iam alieno animo

k in

in Regem erant, ob crudelitatis & sæuitiæ famam, ad voluntariam deditiōem trahebant. Quæ hostiū fiducia atque audacia Gulielmus territus, cū Pontificem (ne quicquam per legatos spe pacis tentata) ad æquas conditiones trahere minùs potuisset, magno prælio ad Brundisium Græcis fuis, & profligatis, & ciuitates, quæ defecerant, & Regni Principes defectionis authores præter paucos, in potestatem redegit. In his fuit Robertus Surrentinus, quem effossis oculis, teterissimo carcere, per vltimos cruciatus moriturum, includi imperauit. Namque in alios cū nulla non libidinis, crudelitatisq; exempla edidisset, vnus Maio inuentus, qui in damnatos & mortuos sæuiret post vitam fortunasq; ademptas, pudori infestus nobilissimas matronas, ac virgines filias omni genere flagitij & dedecoris contaminauit. Interea obsessa in Aphrica vrbe Aphrodisio, quæ in ditione Regum Sicularum erat, C. C. nauium classē obsessis auxilio misit, cui Petrum Eunuchum, Pænum genere, ac propterea cum barbaris, quorum occultè religionem colebat, sentientem

tientem præfecit. Ita cū se is vinci passus esset (septem longis nauibus ab hoste captis) classē in Siciliam traduxit. Enimvero cū id vnum inter omnes constet, malè à Siculis ea expeditione rem gestam: Colenutius, idem ab eo, à quo cætera, mutuatus, Tunetem captam, & direptam, magnam abactam prædam, hinc victam & profligatam primo occurſu Græcorum classē, Siculos magnam vbiq; gloriam adeptos, victores in Siciliam rediſſe tradit. At Rex Malus cū tot rebus ex sententia gestis, vnus hominis perditæ assentationibus & blandimentis delinitus, optimè regnum constitutum conuelli rursus discordijs & seditiōibus principum pateretur: conspiratione nobilitatis facta, cuius, qui idem erat Maionis gener destinatus, vir summo loco natus, & magni idem animi & consilij, Matthæus Bonellus principes partes suscepit, Maio multis vulneribus domi confossus interficitur: Rege, quem verisimile erat in illius interfectores grauius sæuiturum, in carcerem coniecto, ac Rogerio filio, ne Regni odio magis, quàm Regis hoc factum appareret, nondum

nouem annos puero nato, per Regiam urbem circumducto, ac magno multitudinis plausu Rege salutato. Quæ cum ad hunc modum acta essent, ac populum, iam impetu animorum atque ira defervescente, pueri Regis, qui per multos annos videbatur in coniuratorum potestate futurus, peniteret: concursu undique in Regiam facto, mortis denuntiatione ni parerent, coniuratos Regem e custodia emittere, ac Regno restituere, quanquam inuitos eosdem & tergiversantes, coëgit. Eo tumultu Rogerius puer, cum obsessa Regia tumultuantem multitudinem e fenestra spectaret, ictu sagittæ, cum spiculum per alterum oculum in auersam capitis partem actum, mortiferum vulnus fecisset, subito interijt: puer quidem ea iam indole, ut Rogerij patris Apulorum Ducis, in quem maxime studia populorum inclinauerant, atque aui tanti Regis, quam patris ingenium referret. Affirmabant alij, quibus aditus ad Regis interiorum amicitiam patebat, quibusque minime erant illius consilia obscura, eo vulnere puerum haud concidisse, leui quidem, & quod tuto negligi etiam

etiam posset, sed patris iracundiâ, cum percitus furore, quod sibi prelatum à suis esset, abiecto ad pedes calcem in latus impigisset: quo puer exanimatus, cum subito cohorruiisset, mærore animi, qui minime par erat tanta ferendæ iniuriæ, breui occiderit. At coniurati, cum quidem Rex Malus ijs cauisset, ut quod Maionem interfecissent hominem per summum scelus Regnum appetentem, id illis fraudi ne esset: parum se tutos futuros Panormi arbitrati, qua in ciuitate Tyranno certum multitudinis præsidium, vltimum vitæ discrimen illius oppressoribus paratum esset, Caccabum oppidum se recipiunt: quò quidem confluentem quotidie maiorem hominum multitudinem, qui cupidi rerum nouarum ad arma atque ad bellum spectarent, de-improviso armât, eo consilio, ut subito Regem oppressum, qui fluctuante adhuc ciuitate, ac belli expectatione territa nondum planè suis rebus confideret, de Regni possessione, id quod semel instituerant, deturbarent. Ita raptim Panormum copijs adductis, cum trepidi ciues urbem concursando terrorem etiam ignaris quid

rei esset, inferrent: Bonellus, quem coniuratio rei
militaris scientiam exercitui praefecerant (quo id
quidem consilio haud traditur, ita eum receptum
sibi ad Regis gratiam quaesisse, exitus ostendit)
magna facultate bene rei gerendae in praesentia
amissa, copias, omnium expectatione & spe elusa,
Cacabum reduxit. At Rex, qui desperata salute,
cum inermem illum fortuna hostibus armatis
obiecisset, metu impendentium malorum abiece-
rat animum: illis praeter spem profectis, collecto
animo ac viribus confirmatis ad ingenium redijt:
non ignarus, quando haec illis e manibus occasio
effluxisset, aut parum inter illos convenire, aut
non magnopere virtuti suorum confidere, aut no-
ua consilia inire, quibus omnino esse occurrendum
censebat. Itaque dolo esse singulos aggrediendos
existimans: Bonellum proposita venia spe, atque
eorum, quae egisset, impunitate, facile in senten-
tiam traducit. Quod quidem cum sui cognovis-
sent, aegre ferentes illum consilia à ceteris, cum
eadem omnium causa esset, separasse, Platiam
Buteriamq³ oppida munita, quae in patris ditio-
ne fuerant,

fuerant, repente innadunt: quae postea eò Rege co-
pias admouente cum voluntariam deditioem
fecissent, eversa sunt ac solo aequata. Quae dum in
Sicilia geruntur, Robertus Lorotelli Comes, quem
Regi bellum intulisse antea commemoravimus,
magna spe elatus, ubi rursus belli principium fe-
cisset, per tanti tumultus occasionem, aliquid novi
consilij Principes inituros, qui adversus Regem
superiore bello sterissent: celeriter collectis copiis,
urbes ferè Regni omnes, cum fama percrebuisset
interfectum Maionem, Regem captum in coniu-
ratorum potestate esse, sublatis omnibus, qui libidi-
nis ac superbiae illius administri, consiliarijq³ fuis-
sent, quocumque exercitum admoueret, portas cer-
tatim oppidanis aperiētibus, admissus, ad deditio-
nem impellit. Itaque cum in Sicilia coniurati, qui
se Buteriam receperant pacti incolumitatem, op-
pidum Regi tradidissent, e Sicilia soluentes, se Ro-
berto coniungunt, ut communi consilio omnes ad-
versus Gulielmum rem gererent. Quorum consi-
lio cognito, Rex ne qui novi tumultus absente se
orirentur, ubi multitudini concitatae dux non
deesset:

deesset: Bonellum popularem hominem, & nobilitati ob Maionem interfectum in primis acceptum, aduersus datam fidem excæcatum, cum neruorum incisione, quæ à fœmore ad talos protensi ad summos pedes flectunt, excruciantum barbaro more, atque inusitato curasset, in carcerem conijci iussit, ubi teterrimam ac dirissimam mortem dicitur obisse: ceteris non pro hominum delictis (quæ enim esse tanta possent?) sed pro Mali ingenio, fœde & crudeliter necatis. Ita metu vacuus, aduersus hostem bello fœlicior, quàm pace, fretum exercitu traducto, contendit. Ac ne qua spes veniæ esset, quærentibus deditio moram, Tabernis excisis, quod Calabrorum oppidum situ atque opere munitum expugnari per vim posse non videbatur: oppidi Principem lectissimam fœminam arctissima custodia vnà cum matre deportari in Siciliam: Thomam, & Alferium duos illius auunculos viros fortes, & magnæ nobilitatis, quòd authores defectionis fuisse dicerentur, rapi continuo ad supplicium: milites, qui in præsidio erant, effosis oculis & ma

& manibus præcisis, quò ceteris terrori essent, missos fieri imperauit. Ad huius rei famam territus Robertus, qui quàm esset fidei populorum & constantiæ fidendum non ignoraret, in Germaniam penitus suis rebus diffusus abiit: Rex omnibus facile recuperatis, quæ absenti erant erepta, ciuitatibus pecunia, quam ad certam diem soluerent, grandi imperata, omnibusq; ex sententia constitutis in Siciliam reuersus est. Tum verò tanquam is vnus fructus victoria esset, langori atque inertia addictus, penitus Regni procuratione neglecta, prædæ omnia Regis ministris hominibus improbis, & nefarijs reliquit: quæ res quidem Siculorum nobilitati, ubi illi diutius viuere contigisset, pestem atque exitium erat importatura. Carceribus enim non ad custodiam, sed ad supplicium & carnificinam hominum edificatis, tanquam plurimum in morte solatiy esset, quæ miseros tormentis & cruciatibus leuaret, eoque mori prohibebantur, quoad mortis genere crudelitatem in se hominum scientium, cuius exitus nullus reperiri posset, ad satietatem explerent.

Quod quidem fatale Siciliae malum, cum Tyrannorum omnium memoriam refrenuisset, quos illa terribissimos atque immanissimos perpessa esset, Regis Mali sustulit opportuna magis, quam sperata mors, X X. atque alterum annum, postquam regnare coepisset. Patre mortuo Gulielmus filius meliore omine Bonus appellatus successit: quoniam nondum quartumdecimum annum expleuerat, quoad ipse per aetatem Regno administrando sufficeret, traditus in tutelam matri Reginae feminae optima, ac magna & spectata virtutis. Henrico filio natu minori pater principatum Capuae, ita ut ipse in matris tutela & potestate esset, legauit. Principio Regni administratione suscepta, quod Regi filio studia populorum & beneuolentiam conciliaret: nihil Regina antiquius habuit, quam ut primo quoque tempore honestos homines, & locupletes, per summam iniuriam à regis ministris in custodiam traditos, metu ultimi supplicij, bonis omnibus & fortunis restitutis, liberaret: quorum infinita penè multitudo dicitur fuisse. Atque cum superiore bello,

Apulia

Apulia Campaniaque vrbes, quae à Rege descuerant, immani, ut diximus, pecunia multata soluendo non essent: omnes, noui Regis edicto vetitis Regis quaestoribus, quicquam ab his posthac multata nomine exigere, eo onere graui illo quidem, & non ferendo, magna populorum laetitia leuauit. Iam cum à Rege crudelissimo, & qui humana diuinaque iura omnia exaequata habuisset, leges iniquae per multa lata, & per vim essent: retexendas, rescindendasque omnes per Regiam auctoritatem, aliasque nouas, quae ad tuendum populorum otium & concordiam spectarent, condendas curauit. Ad haec omnia reuocatis ab exilio Principibus Regni, cum praeter iustitiae & moderacionis laudem, quae his à calamitate vindicandis summa à cunctis Regi tribuebatur, liberalitatis, & magnificentiae quaereret, quod stabiliendo, confirmandoque Regno esse expeditissimum videbatur, eos amplissimis numeribus & honoribus auctos penitus Regi deuinxit. Ita facile per recentem beneficiorum memoriam iniuriarum vetere oblitterata, cum eos in officio habuit, tum si qui rerum

nouar

nouarum studiosi essent, eorum vim & ferociam Principum consensione, nullo postea negotio repressit. Quae tamen virtus Reginae tanta, cum permulti adhuc in aula superessent, qui peccandi licentiam atque impunitatem, Rege Malo dominari assueti, sibi ereptam dolerent: non potuit ita obsistere, ut non perpetuo, quandiu Rex in illius tutela fuit, Regnum discordijs & seditionibus Principum laborarit. At Gulielmus, cum his auspicijs regnare caepisset, Boni cognomen matris virtute quaesitum & probitate ingenij, & lenitate morum facile postea, insistendo maiorum vestigijs, tutatus est: gloriam domi forisq; magnis gerendis rebus etiam auxit. Nanque Alexandrum tertium Pontificem in Urbe à Federico obsessum, pecunia & auxilijs iuuit, duabus longis nauibus missis, quo praesidio siue fugâ sibi consulere, siue quid aliud inire consilij vellet, ad omnem fortunam vteretur. Fœdus cum Venetis percussit: atque ad eos se Alexandrum recipientem, illi obviam progressus, Vestiam usque ad Garganum montem positam urbem summa populorum frequentia,

ria, & celebritate comitatum, tredecim nauium longarum praesidio deducendum Venetias curauit. Eundem Gulielmus Tyrius tradit, Balduini Regis Hierosolymorum anno quarto, numerosam in primis classem Alexandriam nostris cum Saladino graue gerentibus bellum auxilio misisse: cum expositis militibus, male à Siculis pugnatum esset, multis vno praelio amissis, classem à Regijs Praefectis reductam in Siciliam esse. Bellum inde cum Andronico gessit, qui tum Graecis imperabat, cum quidem per violatam iurifurandi religionem, Alexio Comeno interfecto, in Regiam tanto scelere imbutus, dijs hominibusq; auersis inuasisset. Ita cum Graciam, ac Thraciam omnem igni ac ferro depopulatus magnum populorum odium in barbarum, atque impium hominem concitasset, quem vnum tot malorum authorem detestabantur: Byzantij orto tumultu, Isacio Angelo gratioso homine & populari, multitudinis duce, viuum captum, ac membris mutilatum crudelissimè interfecerunt. Isacio cum ob tantum meritum, tum ob singularem virtutis & continentiae

*nentia opinionem, id vnum expetentibus de-
 scendentibusq³ omnibus, traditum summum impe-
 rium est. Quibus rebus gestis, cum magna omnium
 expectatione profecturus esset ad Asiaticum bel-
 lum, Lucij Pontificis morte importuna, quo duce
 expeditionis res erat gerenda, tanta illi gloria
 erepta est: classem quidem egregie ornatam at-
 que instructam, delectorum militum magno nu-
 mero imposito, qui nostris rem gerentibus auxilio
 essent, nihilò minus in Syriam misit. Huius clas-
 sis aduentu nostri sublati animis Saladinum,
 qui iam Regno Hierosolymorum potitus ad Ty-
 rum castra habebat, cum Duce Conrado Mon-
 ferratensium Principe eruptionem impigre fe-
 cissent, insigni clade illata, solvere obsidione coege-
 runt. At Regia classis praefecti, satis praclaro in
 praesentia munere functi: nostris etiam sacra vrbe
 à Saladino eiectis, cum inter feros & barbaros
 hostes in summo metu circumspectantibus omnia,
 ac reditu undique interclusis nihil spei ad perfu-
 giu[m] pateret, magno vsui fuerunt. Nanque eos in
 nauibus impositos, cum idonea vsi tempestate cur-
 sum*

*sum in Italiam intendissent, ad vnum omnes in-
 columnes in Siciliam exposuerunt, in his Hera-
 clium Hierosolymorum Pontificem, quem Rex
 comitate Regia exceptum, ac donatum amplissi-
 mis muneribus dimisit. Iam cum Clemente tertio
 Pontifice Federicus Caesar Aenobarbus, Philip-
 pus Gallorum, Ricardus Anglorum Rex mare
 transire, ac bellum Saladino inferre statuissent:
 qui, vt diximus, magnis cladibus nostros affectos,
 ferè vniuerso Syria Regno exuisset: ne mari
 clauso atque infesto latrocinijs, Regum exercitus
 commeatu prohiberentur, pulcherrimam classem,
 qua ijs vbique praesto esset, auxilia, & commeatus
 supportaret, instructam ornatamq³ habuit. Quae
 quanquam ad hunc modum ab eo administrata
 essent: ob intestinas discordias rebus male succe-
 dentibus, cum princeps Aenobarbus Helesponti
 angustias transgressus, Iconio & Philomelo euer-
 sis, Armeniaq³ recepta ad Sarum amnem in Co-
 magena Saphadinum Saladini filiū, magno pra-
 lio victum effuse insequendo, dum flumen minus
 exploratis vadis transgreditur, interisset: Philip-
 pus*

pus Rex gravitate caeli offensus, tum Ricardus postremò Prolemaide, inspectante Saladino, capta, atque eodem ad Antipatrida fuso & profligato, è Syria discessisset: Gulielmus magno mœrore ac luctu suorum, cum XXVI. iam annum regnasset, mortuus est: vir quidem planè memorabilis, & qui in omni vitæ suæ parte Boni cognomen virtute summa constantiaq; æquauerit. Regnum Principum suffragijs, populisq; omnibus incumbentibus, Tancredo illius patrueli ex Rogerio Mali fratre, ut alibi dictum est, minimè legitimis nuptijs nato, delatū est: qui, simulacque est Regnum adeptus, Rogerium filium puerum appellandum curavit, Constantia Rogerij Regis filia, ad quam ius Regni spectabat, decedente Gulielmo sine liberis, deiecta. Is est Tancredus, quem Regis Mali accerrimum hostem (quæ una res maxime illi videtur Principum studia conciliasse) & Maione interficiendo, & pellendo Rege fidelem atque egregiam operã nauasse diximus. Enimvero suscepisse illum gravissima belli pericula, ac summos vitæ labores, non cupiditate vlla regnandi, sed studio

studio liberandæ patriæ, illud est argumento: quandiu Malus regnavit, perpetuo eum in armis fuisse: Gulielmo filio adepto Regnum, vitam per summum otium, & quietem traduxisse. Viguisse autem in eo, aiunt optimarum artium studia, sed Astrologiæ in primis, cuius quidem peritissimus fuit: ut minimè illi certa ratio deesset in privata etiam vita & honestè, & cum dignitate otium tuendi. At Clemens tertius Pontifex, qui ius potestatemq; Regni deferendi sibi sumebat: bello Tancredo illato, qui partam Regiam dignitatem, & studijs populorum, & viribus maioribus fretus sibi tuendam aduersus vim omnem statuerat: Gulielmi Regis optimis legibus atque institutis stabilitum Regnum, præpostera atque importuna ambitione, quæ magna Christiana Reipub. pernicie ad posteros manavit, penè euertit. Quo quidem mortuo, cum renuntiatus Pontifex Celestinus, id vnum sibi rebus omnibus præuertendum statuisset, quò id magis iurè agere videretur, Henrico Sueuo, qui patri Aenobarbo Cesari in Germania successerat, Constantiam, cuius sæpe men-

l tionem

tionem fecimus, tradito illi dotis nomine Sicilia Regno, quod hereditario iure pertinere ad illam dicebatur, grandem iam natu in matrimonium collocavit. Ac si illa quidem Celestino Pontifice despondente Henrico nupsit, fuisse multò etate prouectior videtur, quàm ut liberorum procreandorum causâ esset viro adiungenda. Malus enim vigesimum atque alterum annum, Gulielmus filius vigesimum sextum regnavit, ut tametsi ex Rogerio Rege post illius mortem nata sit, res digna admiratione videri possit, Henricum ex ea filium suscipere potuisse. Neque enim verisimile est, Clementem statim Tancredo bellum intulisse (eo apparando non exigua parte temporis consumpta) neque Celestinum de Regno tradendo, ac nuptiis conciliandis, celerius cum Henrico transigisse, cum ea vna res spectare ad arma, & maximorum malorum causa futura videretur: quâquam nemo tradit illam Rogerio patre mortuo natam esse: ut cum Gulielmus frater annum XXV. natus Regnum hereditate adisset, Rogerius autem Apulorum Dux etate maior libe-

ros suscepisset, qui quo tempore Malus inijt Regnum pares magnis rebus gerendis essent: iam videatur verisimile esse, ex eadem matre natam illam, grandiore aliquantò, cum pater decederet, fuisse. Quod quidem si ita est, vni Falcando planè habenda fides videtur. Ex eius enim scriptis Constantiam florenti virginem etate fuisse Gulielmo Rege Bono, atque Henrico, cum adhuc Aenobarbus viveret, in matrimonium collocatam esse conijcitur. Nam quòd Colenutius ait, missum Rogerium Mali fratrem Aletium ad Robertum Comitem, disciplina causâ, incensum filia amore, cum quidem cum illa consuevisset, Tancredum simul ex ea, & Constantiam suscepisse, adolescentem, qui intemperantiùs puellæ consuetudine vteretur, atque propterea in tabem incidisset, accitum Panormum Regi patri morientem rem totam aperuisse, Roberti curâ paruos fratres educatos esse, cum in Graciam Principatu multatus aufugisset: fabula tota est, atque adeò etiam si minùs Falcandi testimonio standum esset, qui ea quæ vidit, quibusque interfuit, scribit,

minimè verisimilis. Neque enim cum iisdem essent parentibus orti, qui in Regni hæreditate cernenda etiam si minor natu esset, sexu videretur fœmina præferendus, eum æquum erat, deteriore conditione esse, ad fœminam, illo præterito, Regnum deferri. Nam Celestinus cum maximè videri vellet, ius esse atque æquitatem sequutus in Regno Tancredo abrogando, quæ se hoc assequuturum sperabat, ubi Regnum Constantiæ detulisset, cum neque magis iusta matre, quàm Tancredus nata, deterior etiam sexu esset? Ac Falcandus quidem, ut nemini iam id dubium videri possit, satis constanter, qui sepe illam viderit, affirmat ex Rogerio Rege natam esse: idem collegio virginum addictam, ac sacris iniciatam esse, id quod fama obtinuit, neque in suspitione cuiquam reliquit. Nanque in principio cum longa oratione in præsentem rerum statum inuectus, Constantiæ, atque Henrici nuptias, tanquam in primis Sicilia funestas detestatus esset, haud probabile est, eiusce rei illum, quæ vna maximè omnium argumentum ad querelam suppeditaret, mentionem
facere

facere neglexisse? Quid enim fœdius videri poterat, quàm adeò grandem natu virginem, cum initiata sacris per omnem suam ætatem collegio virginum præfuisset, à Pontifice Maximo solutam legibus, nubere viro? Ad sexaginta enim annos natam, Celestino Pontificatum gerente, uti ostendimus, fuisse illam oportet, atque adeò etiam si ex Rogerio filio, id quod Colenutius tradit, nata esset: quippe cuius Tancredus frater Regni Mali principio iam res gereret, planè vir ac corroborata ætate. Ac Falcandus iam, cum Henrico viro Constantia Regni fines ingressa, quæ mala eorum sint aduentum consequutura, vaticinando, queritur illam à primis annis in Sicularum deliciarum affluentia diutius educatam (his enim utitur verbis) ad mores atque ad instituta suorum conformatam, Regni opibus externos homines ditaturam, ac prædæ relicturam, opulentissimum Regnum hostibus infestissimis, proficisci. Diutius autem fuisse educatam in Sicilia, minimè dubitandum, fuisse eandem in delicijs educatam, nisi in Regia & inter suos, minimè credibile est. Ne-
l 3 que

que enim (id quod hæc tempora ferunt) tum
 cooptatis in collegia sacrarum virginum locus ad
 luxum, & ad regiam opulentiam patebat. Sed
 idem satis disertè tamen affirmat, Constantiam
 Rogerij Regis filiam fuisse, atque eandem solutam
 optionem virum, quem vellet, sibi deligendi ha-
 buisse. Cum enim post Regis Malii mortem penè
 Regnum intestinis malis labefactatum esset: con-
 stantes rumores, ait, fuisse dissipatos, Stephanum
 Perticensem, cuius tum authoritate Regnum ad-
 ministrabatur, Rege puero mortuo, Gothifredum
 fratrem, per Constantiam Rogerij Regis filiae nuptias
 ad Regnum Capessendum è Gallia euocasse: quò
 quidem ab imperita multitudine præsertim, mi-
 nimè existimari poterat illum fuisse descensurum,
 nisi Constantie cuius nubere integrum fuisset.
 Quid autem minùs credendum erat, quàm Pon-
 tificem, qui eius Regni sibi iura sumeret, passu-
 rum, ut per sacra virginis nuptias quisquam, se
 inconsulto, illud inuaderet? Neque verò manare
 hæc fama poterat, nisi Constantia cum liberum
 iudicium cuius nubendi haberet, suspiciònè hanc
 homin

hominibus, quibus nihil obstaret, quò minùs id
 fieri posse existimarent, iniecisset. Monstri enim
 simile videbatur futurum, si quis obrepere ad Re-
 giam dignitatem dictus esset, cui nupsisset sacra
 virgo, & qua procurandis religionibus per omne
 sua vitæ tempus addicta, ferè iam consensisset.
 Nam neque quisquam, quanquam amens plane
 & perditus, nisi illi per Pontificem licuisset, ab-
 ductam à sacris virginè ducere in matrimonium
 ausus esset: neque ullus erat Pontifex futurus
 adeò dissolutus, & sua dignitatis maiestatisq; obli-
 tus, qui sceleri flagitium addendo, per incestas
 nuptias Regnum querenti homini, quod sui præ-
 sertim iuris esset, diuinum ius atque authorita-
 tem accommodaret. Equidem malim errori lo-
 cum, eorum temporum perturbationem dedisse.
 Coniecturà enim adducor ut credam, abductam
 illam è Regia, quo tempore Malus Rex, orto tu-
 multu, captus est, & in carcerem coniectus, in vir-
 ginum domo, ubi tuta à præsentibus malis ageret,
 asservatam esse. In eadem, etiam sedato tumultu,
 ac rebus Regni compositis, sui iuris ac nullis man-
 cipat

cipatam sacris, quoad Henrico nupsit, mansisse: quod claras fœminas sæpe, atque illustres facere animaduertimus: quæ ita aut virginitati præsidium, aut viduitati solatium quærunt, cum nullis tamen legibus teneantur, quò minus viro nubere, ubi velint, suo arbitratu possint. Nam Germani scriptores; ut est genus hominum acutissimum, ex eorum temporum collatione (id quod haud tamen ita difficile est) contendunt illam adhuc viuentem Aenobarbo Henricum uxorem duxisse: ut mirandum magnopere sit, tot rerum scriptores, quibus nec studium, nec eruditio defuit, nullis certis authoribus, à quibus hæc fama emanarit, vulgò decantatam fabulam, authoritate sua comprobata literis prodidisse. Ergo ita à Normanis Regnum in Suenorum gentem tralatum cum, Tancredo ac Rogerio mortuo, solus Henricus obtinuisset, quò omni spe posteritatis penitus Normani exciderent, Gulielmum, qui se Regni successorem, per Rogerij fratris ac patris Tancredi mortem, videri volebat: exectum in Germaniam, simul, quæ illi sociæ calamitatis essent,
Sybil

Sybillam matrem, ac tres iam adultas sorores deportandas curauit.

IOANNES MICHAEL BRVTVS
 Paulo Theupulo viro clarissimo
 S. P. D.

EGo verò, Paule, in omnibus tibi, quæ te velle, quæq; tibi esse curæ intelligam, geram semper morem libentissimè. Ut enim nulla sint tua merita erga me, quæ quidem plurima, & mirifica me planè tibi obstrinxerunt: at ea quidem sunt in te animi virtutisq; ornamenta, ut ea me vna maximè quanquam cetera absint, in tui amorem, studium, admirationem, ita ut nihil iam statuam non tua causâ mihi esse agendum, impellant. Ita autem ego habeo summa, quæ à me petis, ut eadem & iucunda tibi, & mihi honesta futura, nisi planè mei oblitus sim, negligere vix possim. Itaque in eo, quod me rogas, modestiæ tuæ quidem habes rationem tuæ, nonnullam mihi idem facis iniuriam. Sic enim statuas velim, tum mihi persuasum iri, me plurimum abs te amari,
 l s cum

cum quidem quae à me voles, tuo iure imperabis. Siue enim hoc à fortuna habes, patria id à me, cuius sunt mihi iura sanctissima, requirit: in qua ego ita memini me esse honesto loco natum, ut tui ordinis qui sunt, eos vitæ, libertatis, salutisq; meae authores, quæ vni ego omnia patriæ debeo, tanquam in terris Deos aliquos, colere debeam, & vereri: siue est virtuti idem tribuendum, quam ego vnâ rerum omnium, ut debeo, plurimi facio, quocumque te in loco fortuna collocasset, eo tamen te mihi habendum censerem, quo te virtus tua excellens, & magnitudo animi vocaret. Equidem ne videar aut parum tui meminisse, aut verò etiam mei: facile patiar fructu te huius tuæ modestiæ, si quando videbitur, frui: ego posthac, non qua tu vtaris moderatione in rogando, sed quæ meæ partes sint, esse mihi spectandum putabo. Vocas tu me ad scribendi studium (id quod sepe etiam in Hispania) & quidem ijs de rebus, quibus studium meum & pietas, quæ summa in patriam est, meis probetur. Qua ego de re tanta etsi nihil, quod statuerem haberem: at te tamen, quo me duceres,

ceres, sequerer authorem & præclara monentem, & me digna. At mea sponte ego in dies incendor, mihi crede, vehementius huius gloriæ cupiditate. Neque verò is sum, quem à studio tam præclaro deterreat scriptorum turba magis, à qua me labor vendicat summus, & quem vix fero (iandiu certè plurimum in hoc contendi, ne vnus è multis viderer) quàm rei magnitudo. Tanta autem ea est, ut cum summa sit eorum impudentia, qui nulla illam adhibita reconditiore doctrina, nulloq; vsu rerum, exercitatione modò puerili subnixi audeant attingere: ydem proejecti audacia quò est virium periculum faciendum, à temere suscepto consilio, nullum eiusce rei exitum reperientes, deterreantur. Est autem huius rei facilis, atque expedita ratio. Facultate enim id, non quam debent, sed quam possunt asferre, metiuntur. Minimè est verò mirandum pœnitere homines sui instiuti, vbi id tam agant inconsultè: accusandi illi sunt potiùs, quòd non antea ne perspecta diligentius, dum minus illos suarum virium pudet: ut etiam cum iam integrum non est, necesse sit illos pœnit

pœnitere, impudentia efficiant. Magna quaedam
 res est historiam scribere: qua quidem ego in re,
 ita sum per multos annos versatus, ut me longa
 iam exercitatio doceat, quàm pudenter ea sit, &
 cunctanter attingenda. Qua autem ego re confi-
 sus & scribere iam instituerim, & nunc quidem
 (video enim id te velle) scribendi studio insistam,
 dicerem, si id mihi per meam modestiam liceret:
 certè ut non me destituat spes eò perueniendi, quò
 contendo, non ingenio confido magis, cuius haud
 me pœnitet tamen, quàm diligentia & studio, vsu
 quidem rerum tanto, quantum esse in eo homine
 æquum est, qui magnam Europæ partem aulas
 ferè Regum omnium maximorum per summum
 otium lustrarit. Itaque si quæ mihi incommoda
 (id quod necesse fuit) tot terras obeunti obtige-
 runt, fit quidem fructu, quem ex his capio, maxi-
 mo quidem atque vberrimo, eorum etiam ut mihi
 sit iucunda recordatio. Quibus autem ego malis
 conflictatus sim in Hispania, & alij permulti
 sciunt, & tu minimè ignoras. Cum enim amplif-
 sima legatione ad Philippum Regem à Repub.
 lega

legatus fungerere: ita multus quotidie erã tecum
 ex graui morbo, & diuturno conualescens, ut quæ
 me vis morbi, omni alia humana ope maior penè
 confecisset, tentaret autem altero quoque die nouis
 commotionibus, eam subito senserim vno con-
 gressu, atque vna communicatione sermonis de-
 pelli tui. Noster autem, cuius me domi vnus re-
 creari aspectus poterat (nihil enim eo fingi huma-
 nius quicquam, aut suauius potest) & Regis erat,
 & Regiæ totus: domi rarò, & nisi qua hora iniri
 conuiuium oportebat: quod quidem instructum
 quotidie regio luxu, nobilissimorum hominum
 frequentia honestabat, & qui plurimum gratia
 apud Regem, & autoritate possent. Sed hoc nihil
 ad meum ingenium. Multa verò ferunt hi mo-
 res, quæ neque tui stomachi sunt, lenissimi homi-
 nis, & qui minimè esse contumaciter repugnan-
 dum, sæpe etiam seruiendum temporibus censeas.
 Neque enim stultitia abest à nobilitate, & luxu:
 quin etiam cum petulantia maximè ab errore sit
 & inscitia, multò illa se in magnis opibus iactat
 insolentiùs. Quid porrò ego agerem, vbi aut multa
 mihi

mihî deuoranda essent, quæ minùs probarem: aut frustra refutanda, & magna cum multorum offensione? Erat igitur mihi vnum reliquum in te perfugium, quo nulla me alia re intercludi sinebam, vt videri etiam alijs iucundissima posset. Nam ad cateram domesticam opulentiam & copiam, quam minimè ego admirabar: qui te natum eo patre meminissim, qui tibi præter ceteras virtutes, quibus omnium suæ ætatis florentissimus fuit, veram nobilitatem, & magnificentiam hereditariam reliquisset: tua me vna maximè humanitas, comitas, suauitasq; delectabat. Nullus autem ferè intercedebat dies, quin conuiuio exciperes viros principes, in his & belli gloria, & literarum studio claros: quum quidem ijs de rebus sermo institueretur, quarum esset cognitio pulcherrima. Itaque cetera, quibus erat mensa lautissimè instructa, voluptas condiebat summa, quæ ex his percipiebatur: vt cum omnis tristitia abesset, exhilaratus animus, refici modò corpus epulis, obrui mentem, quæ vegetior etiam fieret in tuo sermone, minimè pateretur. At ceteri exigua

quam diei partem, integrum ego diem, multas sepe noctis horas tecum summa cum voluptate traducebam. Tum memini me primùm tua cohortatione incensum iam satis confirmatis corporis viribus collectum animum à mœrore ad scribendi studium reuocasse: quod quidem penitus cum spe vitæ reliqua abieceram. Atque cum hoc inter nos conueniat, mihi planè esse scribendum, non nihil in eo tamen videmur dissentire. Nam tu quidem cum me ad patriam conuertis, quid debeam, modò videris spectare: ego quid possim, etiam mihi puto considerandum esse. Enimvero nisi ego patriam amplio rem augustioremq; velim, cum amplissima augustissimaq; sit, omnem planè videar humanitatem exuisse. Quidquid enim sum, aut esse etiam possum, illi planè debeo vni: quod quidem cum magni faciendum per se est, tum verò illud facio plurimi. Nam ea contingit mihi patria vt sit, quam gentium populorumq; omnium longè maximam, atque opulentissimam communem bonorum arcem, tutissimumq; perfugium homines verentur: id quod vni datum di-

uinit

vinitus haud scio, an vlli praeerea post hominum
 memoriam in terris contigerit. In quam vero
 singularis mea pietas & studium extat, qui ego
 in eam aliter, ac debeo, animatus esse possum? Nam
 quod illa careo hoc tempore, neque vlla illius cul-
 pa hoc, neque dedecore vlllo meo accidit, sed fortu-
 na iniuria. Eius enim mihi iniquitate ereptus est
 inter meos locus, quem maiores mei per CCC.
 annos retinuerunt honestissimum: quo quidem
 cum adsum, non possum aequo animo carere: fore
 ut aliquando eundem cum pristina fortuna re-
 cuperem, tua gratia fretus non despero. Sed ne hac
 nos cura magnopere angat, quot patria nostra
 habet, qui has illi partes possunt egregie praestare?
 Neque enim etsi est Petrus Bembus iam, &
 Andreas Nauagerius mortuus summi homines,
 & quorum est apud posteros merito futurum
 semper illustre nomen: simul etiam cum ijs est
 lumen eloquentiae in ciuitate extinctum. Neque
 vero hoc tempore vnus, cuius haec est hereditaria
 laus, Bernardus Nauagerius scribendi gloria ex-
 cellit: neque si id fieri possit, patriae causa velit.

Etsi

Etsi autem ille iam maiore aetatis parte per ho-
 nores amplissimos acta, spectare tanquam portum
 tranquillitatis atque otij videtur: quod esset illi
 tempus aptissimum ad hoc tantum munus obeun-
 dum, quod illi Respub. imposuit: at non patitur
 patria tantam virtutem a Reipub. procuratore
 abesse. Nam si illi hoc per publica negotia liceret,
 quis eo vno posset praeclearius? Etenim facultatem
 eam habet per omne vitae suae tempus occupatio-
 nibus districtus gravissimis, quae esse maior in
 nullo potest, cui licuerit per omnem vitam otioso
 esse: vsum rerum, quem obeundis plurimis lega-
 tionibus ad maximos, & potentissimos Europa
 Reges, magistratibus amplissimis fungendis, praefecturis administrandis, summo imperio inter
 principes ciuitatis gerendo, sibi potuit comparare.
 In eodem ingenium tantum, ut doctrina adiu-
 mentis, quae sibi maxima studio quaesuit, & la-
 bore summo, haud magnopere indigeat. Quae res
 quanquam ita se habet, haud desunt tamen, qui
 quasi vicarij illius muneris & functioni succe-
 dant & sapientiae studijs adulescentes, & elegan-
 m tioribus

tioribus ijs literis perpoliti, quibus eloquentia comparatur. Etenim Augustinum Valerium nomen ego, huius filium sororis, cum aliquot ab hinc annis Philosophiae studiis Patavij operam daret: quem cum audirem disputantem in Philosophorum corona, de questionibus maximis, atque in primis in Philosophia reconditis: tantam animadvertēbam inesse in argumentando vim, ingenium, acumen: tum adeo parata omnia, quibus aut probaret sua, aut refelleret contraria: vix ut mihi possem persuadere (cum praesertim admodum esset adolescens) per omnem suam aetatem literam illum, quae eius facultatis non esset, ullam discere potuisse. Neque ille verò eruditione magis, & cognitione maximarum rerum: quam vita sanctitate, pudore, innocentia Philosophi nomen tuebatur. At cum rursus illius scripta legerem, lumina admirabar eloquentiae, & ornamenta doctrinae maxima: ut cum me afficeret voluptate summa, oratio cum pure, & Latinè scripta, tum aptè, & numerosè cadens, gravitas me sententiarum teneret in primis, quae effluere videbantur

ex

ex animo instructissimo optimis artibus, & quem Philosophia arctissime complexum nunquam videretur dimisisse. Ac Valerio quidem paulò inferiore aetate Nicolaium Barbadicum peracri adolescentem ingenio, studio flagranti, eruditione summa perfecisse aiunt, ut cum incredibilem sui expectationem hac sua florenti aetate concitarit, unum illum modo tueri, praeterea contendant posse neminem. Cum enim eloquentiam à naturae fonte hauriat, qua maxime excellit, tanquam nihil habeat ab ingenio adiumenti, studium acerrimum, usum, exercitationem adhibere affirmant, quibus eos processus effecerit, ut cum iam à nullo vinci scribendi laude possit, iam sui ille emulator vehementius quotidie cupiditate & studio vincendi sui incendatur. Uterque autem cum ingenio & studio praestet, & amplissimo sit loco natus, aditum habet ad ea cognoscenda facilimum, sine quibus fungi hoc munere nemo preclare potest. Alios item esse credo horum non aequales solum, sed qui eorum aetati succrescant, eruditos adolescentes (id quod credere aequum est

m

2

m

in ea ciuitate, quæ omni genere liberalioris doctrine exculta & exemplis alijs abundat ad virtutem singularibus, & semper pacis artibus, quàm belli clarior fuit) quos quidem facile patior, mecum homine huius ætatis de scribendi gloria, atque adeò certa spe vincendi certare. At ne cui tamen videar esse oblitus hanc mihi patriam esse, quæ merito suo quidem mihi charissima, eadem est Italiae omnis ornamentum vnum maximum & decus: quæ illi possum, vbi se occasio dat, pietatis munera persoluo. Id quod facile ea declarant, quæ de origine vrbis à me scribuntur eo libro, quem de Instauratione Italiae inscripsi. Ea autem ad te mitto epistolæ subiecta, vt habeas iam argumentum certius huius mei in illam studij, nec me posthac aut desertorem officij, aut verbo etiam grauiore alio, tanquam à labore scribendi refugiam, appelles. Nam qui mihi hanc pietatis laudem præreptam volunt: ea sunt homines indignitate, vt non solum propterea quòd tibi sunt noti, eorum suppressa nomina habere velim, sed ne etiam noti alijs meo testimonio sint (ita enim

enim sunt perdit, vt præclarum ducant, querere nomen etiam ex infamia) magnopere laborem. Tu me, quod facis, amare pergas, & fratribus tuis viris amplissimis, multam salutem meo nomine impertias. Vale.

Ex priore libro Ioannis Michaëlis Bruti de Instauratione Italiae.

Equidem vereor fore, vt in nostrorum hominum grauem reprehensionem incurram, cum vna hoc tempore Venetorum ciuitas & magnitudine imperij, & gloria rerum gestarum, & omnibus artibus bene domi & foris Reipub. administranda facile inter omnes alias Italiae excellat: nisi de eius vrbis principijs, & incrementis, ex quibus sensim sese efferens, in tantas opes & potentiam peruenit, pauca mihi esse dicenda existimem. Etsi autem est res digna summa admiratione, in medijs maris æstuarijs positam urbem, cum præter cæteram magnificentiam, mole & frequentia edificiorum amplissima, ornatissimaq; sit: aduersus vim omnem & iniuriam

temporis M. iam, ac C. C. annum incolumem manere: illud est multò tamen admirabilius: cum haud semel ad illius interitum vniuersus terrarum orbis incubuerit, Italiam toties barbara atque exterae nationes inuaserint, tantum semper in communi salute tuenda consensus civium extitisse, ut vna per tot secula suis vsa legibus & institutis integram adhuc quidem libertatem acceptam à maioribus retineat: dignitatem finibus imperij proferendis, terra mariq; virtute summa, & felicitate auctam, constantia pari & gravitate tueatur. Nam opulentia rerum omnium & copia ut magnitudinem vrbis aequet, incolarum industria summa & solertia efficit. Ita veluti ex vberrimo & feracissimo solo non modo alijs omnibus Italia populis, sed cunctis etiam transalpinis, transmarinisq; gentibus, omnia quae sunt ad vitæ cultum necessaria, & ad omnem politioem elegantiam ex ea vna largo & copiosissimo proventu suppeditantur. De ea autem cum tanta sit, ita statuo: ut invidentis illius gloria esse de ea non scribere: sic neminem scribendo assequi illius magni

magnitudinem posse. Itaque minimè mihi video esse verendum, cum qua de illa traduntur, superare iam facile omnium fidem videantur, ne ijs scribendis parum videar mea constantia gravitatisq; meminisse. Totius enim quasi orbis terrarum emporium, ita vna patet ad maxima gerenda negotia gentibus populisq; omnibus, ut quorum ego testimonio meam fidem liberaturus sim, haud mihi magnopere sint defuturi. Igitur ut de ea famâ tantum accipientes homines, fictam ac commentitiam esse quandam urbem arbitrantur: ita, ubi propius eandem aspexerint, veluti quae nullis hominum artibus eò magnitudinis potuerit peruenire; superata penitus fide vnam in terris & diuino consilio conditam, & diuina ope auctam, conseruatamq; esse ad hac tempora existimant. De illius origine omnium fere eadem sententia est: Hænetos Paphlagonie populos, cum bello Troiano victi ex Asia profugissent, in hanc oram intimam Adriatici maris classe appulsa, omnem regionem, quam sibi sedem domiciliumq; delegissent, Veneriam vno nomine appellasse.

Nam quòd quidam authores esse dicuntur, à Venetis vltterioris Gallia populis, cùm eò coloniam deduxissent, nomen accepisse, minime hoc mihi probari potest. Siue enim authoritate standum est, plures sunt, qui Henetos authores gentis & principes agnoscunt: siue ratione, verisimilius est, profugos homines & qui pulsì patrijs sedibus, quas incolerent, alias quærerent: quàm Gallos, remotissimas præsertim terras, tam procul ablegatos à suis, cùm liceret viciniora loca petere, & vberioris agri, deducendæ colonie causa occupasse: id quod nemo præterea tradit: cùm diligentissime à veteribus Gallorum expeditiones omnes & notata sint, & animaduerse, si quando nouarum sedium quærendarum causâ domo profecti, in nouas terras ac regiones immigrarint. Verùm vt cunque de huius gentis principijs dubitandum est (neque enim hoc permagni refert) ita de eo video dubitare neminem: Attilam Hunnorum Regem, vrbi, quæ tum ferè nulla erat, maiore post hac incolarum frequentia augenda, honestandæq; occasionem præbuisse. Dalmatis enim, Liburnis,

Istris,

Istris, & à Tergestinorum sinu Carnis eodem cursu victoria superatis, cùm Aquileiam nobilem in primis eius ætatis urbem, atque alias Italia ferè omnes, quæ magni nominis essent, direptas atque incensas vastasset: ex ijs aut præsentibus bellis clades, aut imminentes propediem fugientes homines, congestis quacunque vis belli reliqua fecisset, in crescentem urbem nouorum ciuium frequentia, cùm in ea paratum iactata omnium, & afflictæ fortune per fugium pateret, quasi in munitissimam arcem, & sacrum locum maiore quotidie concursu constuebant. Ex ijs urbibus, quarum ruina hæc vna tanta futura creuit, principem Aquileiam fuisse ferunt. Cùm enim vrbe à barbaro obsessâ, ciues fessi magnitudine malorum, quæ iam vltima pertulissent, quidam etiam, antequàm eò admouisset exercitum, de cõmuni salute desperarent: eò primi omnium confugisse dicuntur. Horum exemplum sequuti Patavini, continenti incendio conflagratam patriam relinquunt: atque eodem profecti, qua parte (vt in palustribus locis) robore & firmitate soli esse urbem aptiorem ad molem edificio-

rum sustinendam apparebat, sedem suis constituunt. Ita relictis omnibus, qui impares per aetatem ad arma ferenda essent: cum delecta iuventute, ne patriam barbaris prodidisse viderentur, ad illam defendendam maiore animo, quam viribus accurrunt. Sed eorum eadem quae reliquorum fortuna fuit. His accedunt quicumque Euganeos montes incoleant, cum minus tuta, ac munira loca essent, quam ut ijs confidere auderent, ceteros sequuti, quos patria eiectos se, suosque eodem recepisse audiebant. Non contemnenda ex his multitudo poterat videri, & quae iam speciem quandam civitatis praeseferrent. Ita cum omnibus domi absumptis, ac spe omni recuperandae patriae sublata, locum esse aptissimum novae condendae urbi existimarent, cui salutem referrent, & libertatem acceptam: ne ad desiderium eorum quae amiserant, exilij speciem deformem tristemque adderent: quae instituta quasque leges continenda in officia multitudine servarent, consultis ijs, qui usu rerum plurimum praestare alijs, & sapientia dicerentur, constituunt: iudicia, magistratus, ceteraque

Reip

Reipub. functiones & munera describunt: in his qui summam Rempub. delectus populi suffragijs Princeps administrat, sua auctoritate, ius, religionem, pietatem curet inter ciues colendam delingunt. Iam vero cum haud facile quisquam in novam urbem migraret, cui non ingentes opes fuga comites spem facerent quovis in loco suos ex anteacta vita fortuna alendi (quod magnum argumentum est Venetae nobilitatis) accedente praeterea hominum industria, quae in spem sobolis propaganda animos erectos excitaret: foris rem quærere nauigando, atque ad exteris nationes adeundo, saepiusque vltro citroque commeando, superioris fortunae desiderium, cum maxime iam accederent opes, lenire, & quae iam indolem tanta civitatis tueretur, augendae urbis potentiae & dignitati, haud magnopere vicinis populis suspicantibus, cum nondum esset in eam magnitudinem euecta, ut invidia pateret, quorsum res esset evasura, per summum otium intendere. Hac hominum cura & ditescere brevi urbs, & in dies fieri opulentior, ac, ne foris quærenda agri voluptates

& delitiæ essent, coli in sterili solo res hortensis
 cœpta: salsa humo sensim exuendo insitam à
 natura vim iam mitescente, ac se facilem, atque
 opportunam frugibus atque arboribus serendis
 præbente. Operæpretium est quidem spectare cum
 multa alia in ea vrbe digna summa admiratio-
 ne, tum illud in primis, ex ea vna cum in medijs
 fluctibus sita sit, præter ea quæ aliunde incolarum
 industria vehit, vberissima & maxima, ad conti-
 nentis vrbes suavissimos arborum fructus importa-
 ri, & quibus magnitudine, & bonitate cedant, qui
 maxime in mediterraneis probari dicuntur: tan-
 to quidem ex ea re proventu, vt ditissime fami-
 lie inter eius ordinis homines, qui rem horten-
 sem colunt, ex eo quæstus genere habeantur. Plu-
 rimum roboris ac virium vrbi esse adiectum fe-
 runt Clephi Langobardorum Rege Italiam va-
 stante. Potentissima enim familiae barbari Regis
 pariter infestam omnibus immanitatem fugien-
 tes tum ex alijs Italia partibus, tum ex Insubri-
 bus maxime, desperata suorum salute, in tutissi-
 mam urbem, quæ patria deturbatis, vna ad salu-
 tem

tem pateret, sese fuga recipere cogebantur. Qui-
 bus ex rebus cum iam vrbis potentia & conspici
 Italiae populis, & mox suspecta, ac formidabilis
 postremo esse cœpisset, iniuriæ à finitimis populis,
 quod facile erat, per finium occasionem illata: at-
 que ad has propulsandas, vigentes per multa se-
 cula populi vires & nullis adhuc bellis affectæ
 excitari cœperunt. Ita producti fines imperij, &
 non solum subactæ vicinæ vrbes, sed insula omnes
 ab Adriatico ad Ionium, atque ad Aegeum
 mare, tum inde cum Peloponneso vniuersa, Græ-
 ciae maritima ora omnis eorum imperio ad He-
 lespontum vsque adiuncta. Ergo iam maximis
 rebus domi forisq; gestis, cum in alijs orbis terræ
 partibus, tum in Ionio mari, ac Græcia ferè vni-
 uersa, portibus omnibus occupatis, qui & accessus
 opportunitate, & frequentia incolarum, & exte-
 rarum gentium commercio, quæstui vberiori na-
 uigantibus essent: eousque dicuntur augendo im-
 perio processisse, vt à nauigantibus supero mari,
 tanquam sui iuris esset, portoria exigere. Ma-
 gnâ vrbi dignitatem iam Pipinus Gallorum
 Rex

Rex visus est conciliare. Nam post devictos summa gloria Langobardos : cum ageretur de Italia rebus constituendis, inter precipuas pacis conditiones conuenit, ut Venetis exceptis, quorum una in Italia ciuitas inuicta aduersus tantam vim bellorum steterit, quiq; sui iuris essent, suis legibus, suis institutis vterentur, aliae vrbes omnes aut Graecorum Imperatori, aut Romano Pontifici, cuius causa Pipinus Langobardis bellum intulerat, adiudicarentur. Atqui bello Asiatico, quod Urbano secundo Pontifice Maximo aduersus Syriae Reges Christiani Principes gesserunt, dici vix potest, quanti illius nomen apud omnes Europae, atque Asiae gentes esse coeperit. In Italia quidem nulla ferme de re paulo grauiore, controversia inter Principes oriebatur, cuius cognitionem ad Venetos tanquam communes arbitros disceptatoresq; reicerent, tantam de eorum sapientia opinionem, incorrupta per tot secula seueritate iudiciorum facile defendente. Floruit diu his artibus Veneta res cum foris res maximas gerendo, tum domi legibus & institutis sanctissi-

mis

mis aduersus diu luxuriantem secundis rebus ciuitatem constantissime pugnando, ita aucta maiestate imperij, ut nullius priuatim aut nimiae opes, aut Reipub. formidolosa potentia, & quae animos ad res nouandas faceret, in ciuitate esset. Partum postremo maximarum quoque ciuitatum in Italia imperium per varias occasiones, continentis populis, quanquam saepe & Insubrum, & Galliae Togatae Reguli Populo Principi infesti, & communis omnium libertatis vindici, contra omnibus viribus adniterentur, in fidem receptis. Itaque quanquam patrum memoria, non Italiae solum, sed vniuersae Europae potentissimos Reges ad arma Iulio secundo concitante, in rerum omnium discrimen venit, mansit illi tamen relictum a maioribus imperium, non minore gloria, ab hostibus saepe victoribus vindicatum, quam inuidia, cum summa fuisset, antea amissum. Vicit enim Pontificis religio, quos terrere arma non potuissent : Pontificis ferociam frangere neque quod gerebat tantum in terris munus, neque imminens Italiae exitium potuit. Id autem ita esse exitus belli

com

comprobavit. Nam quibus armis specioso titulo liberanda Italia deformatam illam perpetuis claudibus, atque incendijs vastauerat, is suis funesto praelio, & cruento victis: præreptam illi gloriam (si qua modo illum manebat) importuna mors Leoni Pontifici successori tradidit fruendam: nobilissimæ civitati religionis summæ, & sapientia laudem, quam obterere Regum atque Principum omnium viribus conatus esset, omnes concesserunt. Subnixus enim Venetus externis auxilijs cum mare classibus sternere, Italiam exercitibus complere posset: magis religionis maiorum & constantia, quam salutis suæ memor, eam victoriam detestatus, quæ Italia ruina atque incendio constaret, se vinci quidem in presentia est passus, belli exitu, hostibus & victis æquæ, & victoribus superior atque admirabilior fuit.

IOANNES MICHAEL BRV-
tus Franco Nicolai filio Spinolæ S. P. D.

Nihil mihi esse gratius potest, quam ad te scribere, adolescentem non magis nobilitate
(hanc

(hanc enim vnam commendationem ad gloriam habes à maioribus) quam virtute, quæ abs te tota est, vt merita tua in me multa & illustria omit- tam, & suspiciendum mihi maximè, & aman- dum. Ita autem posse videor desiderium tui absen- tis lenire, si non modò hoc crebrò fungar munere scribendi, sed si is de rebus etiam, quas plurimum tibi voluptatis esse allaturas intelligam. In his au- tem cum agatur existimatio optimi ac nobilissimi Principis, & cui non solum ipse es propinquitate coniunctus, sed maximis ego, atque amplissimis beneficijs deuinctus: caue putes, quicquam hoc mihi vno abs te imposito onere esse incundius: idem certè vt & merito tuo mihi, & illius æquè antiquissimum esse intelligas, omni studio, assidui- tate, vigilantiaq; curabo. Panuinius, cuius apud te scripta de Innocentio suboffenderant, & vir opti- mus est, & planè doctus, vno hoc quidem nomine dignus, quem nostri ordinis homines in oculis fe- rant, quòd non desistit quotidie præclariùs de li- teris mereri. De Innocentio quòd scribit, quando nihil certius habet, quòd sequatur, vir, quo nemo
n vnquam

unquam diligentius elaboravit aut veterum scri-
 ptis peruolutandis, aut monumentis virorum illu-
 strium inspiciendis, quò veritas suo studio erui, &
 vindicari in notitiam hominum posset, non est,
 quòd queramur. Perfunctum enim se labore exi-
 stimavit, quando nihil præterea, in quo elabora-
 ret, sibi reliquum putauit. Sed heus tu? Dum hæc
 scribo, literæ ad me commodum Roma afferun-
 tur, quibus certior fio, alia nunc de Innocentio
 Panuiniu[m] scribere. Quæ me res haud satis scio,
 maiore ne admiratione, an voluptate affecerit:
 quanquam quæ hæc est admiratio? Nihil enim
 debet mirum videri quod diuino consilio nobis
 quannus id quidem nouum, repentinum, inexpectatum
 contingat: quibus quid fiat magis, quam
 quibus de causis fiat, esse perspectum potest. Nam
 hoc planè diuinitus, vt scribentem de Panuini-
 o literæ de eo, & quidem quo vno maxime insiste-
 bam argumento oppresserint. De eo autem Prin-
 ceptis ad me his verbis: Onuphrius Panuinius,
 vir eruditionis & probitatis singularis, totum ne-
 gotium suscepit libentissimè. Itaque iam scribit de
 Innoc

Innocentio quæ volumus: volumus autem ea quæ
 digna sint summa illius religione, & fide. Nunc
 tametsi ille satis est locuples testis futurus, non pa-
 tiar tamen quæ ad amplitudinem nobilissimæ fa-
 milix attineant & quæ de me est optimè meri-
 ta, quando eòdem præterea & studiū tuum sum-
 mum, & voluntas accedit, meum officium desi-
 derari. Innocentij maiores cum ex familia in pri-
 mis Genuæ clara nobilitatis partes sibi tuendas
 in Repub. suscepissent: facile omnes sunt honores
 adepti, qui esse maximi atque amplissimi in libe-
 ra ciuitate existimantur. Nam CCC. ab hinc
 annis Lanfrancus Cybo inter eos, qui nobilitatis
 suffragijs adlecti Reipub. præerant, summum ci-
 uitatis magistratum gessit: vir domi forisq[ue] pa-
 riter habitus clarus. Ac ne is tamen posteris no-
 bilitatis author videatur, XX. anno antequam
 is esset eo honore perfunctus, qui Honorij tertij
 Pontificatus quartus annus fuit, Federicus Cybo
 Saouonensi sacerdotio Pontifex præfuit. Quem
 quidem (vt maxime etiam sit verisimile, dari
 hoc virtuti hominis, & probitati potuisse) præter
 n 2 alia

alia multa vetustas familiae facit, ut credam, maiorum meritis simul habitum, & nobilitati familiae fuisse. Gulielmus enim Cybo, qui per eadem fere tempora floruit equestri dignitate, qui tum honos claris hominibus ob multa ac praecleara merita habebatur, à Federico secundo Caesare honestatus nobilem in primis legationem ad Clementem quartum Pontificem dicitur obuisse. Hunc non ita magno intervallo (nam XVI. fere anni intercesserunt) insecutus est Mutius Cybo: quem ferunt privatis sumptibus instructa triremi, apud Calarim Sardiniae urbem, per provocationem eum rostrata Pisana congressum, egregia de hoste positum victoria esse. Proximus huic aetate Principualles (id quod in privatorum commentarijs proditum est, qui religiosissime à posteris servantur) cum principibus civitatis coniurationem dicitur adversus populum fecisse: cum illi Reipub. administrationem maiore animorum contentione, quam viribus extorquere, per paucorum conspirationem, qui essent nobilitatis studiosi, niterentur. Id accidit Nicolai quarti Pontificatus anno altero.

altero. Horum omnium gloriam, qui anno post fere quinquagesimo extitit, Daniel Cybo superavit: vir magni animi, & consilij, & qui adversus Pœnos & suis, & civitatis auspicijs magnis gestis rebus, plurimum inter suos cives auctoritate & gratia excelluit. Is Luciano Grimaldo magnæ homini nobilitatis, in cuius ditione erat Portus Hercules Monæci, filiam collocavit, cum graues antea inter illos inimicitiae intercessissent. Lucianus enim constratam Daniëlis navem, quæ onusta pretiosis mercibus directum cursum Genuam haberet, interceptam direptamque retinuerat. Qua ex iniuria tanta susceptam Daniel simultatem, nisi per huius affinitatis coniunctionem sublata esset, acerrimè persecuturus videbatur. Meminit horum fere omnium Augustinus Iustinianus, qui Italica lingua Genuensium annales conscripsit, ut alijs omnibus religiosus, & diligens habitus, quæ suis est scriptis complexus, ita in his, quæ pertinent ad Innocentij maiores, magis, ut dicitur, veteris simultatis, quæ illi cum ea familia intercessit, quam religionis suæ, & fidei memor

n 3 (equid

(equidem id minus ausus fuerim affirmare) iniquiore certe animo in suos, quam verum scriptorem æquum esset, multa consultò præterisse posteris queruntur, quæ honesta in primis essent familiae futura. Quicquid autem est, quod de Innocentij maioribus scriptores tradant, satis illud semper inter omnes conuenit, honestissimum illos inter principes ciuitatis locum perpetuò quasi per manus traditum retinuisse. Generis originem cum veterum monumenta multa, temporum iniuriâ, interierint: posteris coniectura illi quidem adducti satis probabili Byzantium referunt. Authorem enim nobilitatis suæ agnoscunt Ioannem Vitalianum, cuius quidem illustre & clarum nomen apud scriptores eorum temporum est, magnis ab illo rebus gestis, Belisarij primùm auspicijs, qui Italiam à Gothis liberauit, clarissimi imperatoris, & magni nominis, & ductu postea, imperioq; suo, cum reuocato in Thraciam Belisario à Iustiniano Cæsare, præesse rebus in Italia gerendis iussus esset. Nam in quibusdam annalibus Græcorum Cybo illi cognomen fuisse affirmant: quæ quidem

VOX

vox cum Græca est, tum quadrat maximè ad huius familiae insignia. Est enim in his transuersus alueolus quadrata forma, pluribus quadratis veneto atque albo colore alternis, æquisq; spatijs confectus. Nam supernè posita crux testimonium habet laudis præclarum, egregiè illos de suis ciuibus meritos, quod ijs pietatis præmium amplissimum esset, patriæ insignia retulisse. Ita si est vis verbi spectanda, satis verisimile videri potest, eius familiae, quæ CCC. & L. ab hinc annum clara floruerit, Græcum hominem & multis eundem clarum victorijs, & eodem cognomine insignem, cum præsertim nunquam postea in Græciam redisse traditus sit, principem atque authorẽ fuisse. Sed hæc quidem etsi perbellè coniecta videri possunt, quando veterum testimonio, quorum aliqua authoritas sit, nullo nituntur, haud temere esse assentiendũ puto. Illud nemini dubium est, Genuæ diu veterum nobilitate illustrem familiam, Neapoli ex iisdem ortos maioribus ampliorem Tomacellos, clarioremq; reddidisse: ex his maximè Petrum Tomacellum Cybo, qui Pontifex Maxi-

n. 4

mus

mus Urbano Sexto successit, & dictus Bonifacius Nonus. Etsi autem minus conuenit, quo tempore aut Innocentij maiores Neapolim, aut Genuam Bonifacij migrarint, quæ ue ijs migrationis fuerit causa, in re haud satis illa quidem explorata, minus illud tamen habere dubitationis videtur, eandem familiam diuersis nominibus Genuæ, & Neapoli, cum eadem insignia essent (quicquid huius rei fuerit causæ) appellatam esse. Nam quod res esse obscurior videtur, est id quidem argumento, quanta eius familia vetustas sit, cuius tradi principia nulla certa possunt. Roma quidem adhuc visitur picta Bonifacij imago, atque adeo, ut videtur, per antiqua hac inscriptione, BONIFACIUS NONVS TOMACELLVS CYBO. Quanquam verò Genuæ cruce rutila assumpta, variari nonnihil in eo insignia videntur: conijci hinc potest, migrationem hanc aliquanto vetustiore Bonifacij temporibus fuisse. Quod quidem, ut interdum minus pertinere ad rem videatur (veræ enim nobilitatis descendenda à nobis commendatio, non à maioribus est) testim

testimonium familia tribuit antiquitatis præclarum: quæ res nunquam non est honesta futura, cum ijsdem artibus posteri, quibus partam nobilitatem habent, tuendam sibi retinendamque existimant. Fuit Bonifacij Pontificatus in primis memorabilis, quem quidem aduersus duos Pontifices Clementem septimum, & Benedictum XI. quauis illos maximorum Regum potentia & autoritate nitentes, turbulentis Christianæ Reipub. temporibus per XV. annos constantissimè gessit. Nam per Pileum Concordiensem Rauennatum Pontificem, qui à Clemente septimo aduersus Bonifacium Pontificatum in Gallia gerente ascitus in Cardinalium collegium ad illum defecerat, Umbriam omnem, Picenum, Bononiam recepit: cum iam antea per voluntariam ciuium deditioem Perusium, quæ ciuitas partibus diuisa laborabat intestinis discordijs, suæ ditionis fecisset. Iam & Ladislaum puerum, qui Carolo patre Rege Neapolitanorum interfecto, per ætatis contemptionem Regno patrio fuerat eiectus, & sibi suscepit tuendum, & suis copijs aduersus Ludouicum

uicum Andegauensem iuuit, qui tum Regno maxima subnixus potentia imminebat: atque eundem postremo superatis hostibus, ac Neapoli per copiarum duces recepta, Regem Neapolitanis in fidem receptum constituit: ne quando id illi fraudi esset antiquato Urbani decreto, quo illi memor paternarum simultatum aqua & igni interdixerat. Ab eodem Venceslaus Rex, qui per Caroli patris mortem partem Germanorum Imperium, magna Principum offensione administrando, diu omni nequitia & dedecore infamis regnabat, pro summa potestate iussus est se Imperij dignitate abdicare, in eius locum Roberto Bauaro Cesare declarato. Idem tumultuantes in Urbe Romanos duce Nicolao Columna impigro homine, & magne nobilitatis, cum iam Capitolij arce occupata, cuius ipse fuerat instaurator, exitium illi & mortem intentarent, seueritate summa coercuit, permultis in eo tumultu comprehensis, atque ultimo supplicio affectis. Ac ne quid illi deesset, quò minus claram sui memoriam relinqueret: secularem annum, eundem sui Pontifi-

catus

catus duodecimum obiuit: qui celebris in primis concursu omnium gentium in Urbem fuit. Per eadem tempora, quibus Pontificatum Romæ Bonifacius administravit, verisimile est Aruntem Cybo Innocentij patrem natum esse, clarissimum hominem, & gloria rerum gestarum, qua longè superioribus præstitit facile familie principem. Claruit enim bello Neapolitano, quod Alphonsus Rex gessit aduersus Renatum Andegauensem, cum eius Regni iura heres Ludouici fratris, quem Ioanna Regina adoprauerat, ad se pertinere contenderet. Sed de Arunte Cybo pluribus quidem in vita Innocentij Pontificis, quæ à nobis breui absoluta edetur. Hæc partim ex Alberici Principis monumentis, partim ex Genuensium Annalibus in præsentia collegimus, magis ut tibi mos gereretur, qui id te maxime velle ostenderas, quàm quòd magnopere esse tibi obscura possent, adolescenti à primis annis omnium, quos vnquam nouerim, studiosissimo antiquitatis. Quæ quidem illustranda, si quid est, quod te fugiat, habes domi, quem consulas, eruditissimum eundem hominem,

& tibi propinquum Franciscum Mariam Cybo.
 De quo quid tibi spondeas, videris: quid debeas, &
 possis ipse intelligo. Nanque in nemine est aut fa-
 cultas huius rei maior, aut voluntas ad te aman-
 dum propensior. Quæ duo quando tenes, posthac
 ego abs te, si quando quid à me petes, mutuabor.
 Genuensium historiam Latine scriptam, ubi voles,
 licebit cures describendam: quanquam cur id ve-
 lis, nihil video causa subesse. Nam neque est genus
 scribendi, quod te magnopere delectet (est enim
 ex illa veterum barbarie, quæ est minime tui sto-
 machi elegantissimi adolescentis ingenij: vix au-
 tem est mei, qui paulò sum ad hæc durior) neque
 res ferè sunt ullæ, quas non Iustinianus in An-
 nales transtulerit, quos ipse iandiu per otium ex-
 cussisti. Sed quando in veterum scriptis non quid
 delectet semper, sed quid sit vsui, queritur, etiam
 cum abest voluptas: non committam, ut me au-
 thore videaris à sententia destitisse. Adornas
 enim bibliothecam, in qua quidem haud est pul-
 cherrimum ea esse, quæ terantur à multis solum,
 sed quæ etiam legantur à paucis. Horum est au-
 tem

tem equè legere quæ probent, & quæ reijciant,
 cum nihil sit adeò reijciendum, quin idem com-
 modo aliquando, & compendio sit. Ergo ut libet,
 quando per me quidem tibi licere semper, velle
 me autem omnia tua causâ intelligis. Vale.

IOANNES MICHAEL BRVTVS

Syluio Vonico S. P. D.

SI quando, Sylui, tibi vllò meo officio persuade-
 re potuisti, summum meum in te amorem
 esse (contendi equidem semper plurimum, ut hoc
 tibi probarem) licet iam in posterum, constantem
 me putes in te amando etiam fore. Tulit autem
 diuersa vtriusque nostrum vitæ ratio, ut quo qui-
 dem tempore tibi studiorum causâ aut Patavij,
 aut Bononia, mihi in Germania, in Gallia, in Hi-
 spania, in Anglia esset manendum. Sed potuit
 perficere memoria veteris nostræ consuetudinis,
 ut disiuncti etiam cum essemus spatijs terrarum
 immensis: coniunctissimum tamen inter nos ani-
 mum præstaremus. Id autem magnopere ego tibi
 persuadeas velim, quanquam mea factum ad-
 uersa

uersa fortuna sit, vt adolescens summo loco natus,
 & maximè paratus à fortuna bonis, me tibi ar-
 etissimis amoris, atque officij vinculis obstringeres:
 nihil tamen aequè me vnquam, atque tuam vir-
 tutem, pudorem, moderationem animi cepisse.
 Qua de re quidem pluribus agerem, si de tua in
 me voluntate dubitare sine magna iniuria tuae
 constantiae, ac mei iudicij possem. Cùm enim tu
 semper multò mihi plura, quàm ego sperare au-
 derem, tribuisti: tum verò minimè vnquam ade-
 misisti iudicium. Eo autem planè mihi videar ca-
 rere, si, cùm alias virtutes omnes maximas in te
 facile intelligam inesse, desiderem constantiam,
 qua vna illa maximè nituntur. Sed, ne videar
 longior esse, causa breuitatis explicanda, nunc de-
 cimum post annum tibi receptum à me officium
 persoluo, ac Lazari Bonamici orationem de lau-
 dibus historiae, viri omnium nostrae, superiorisq;
 aetatis doctissimi, atque eloquentissimi, ad te mitto:
 satis quidem intelligens, à te, id quod est, minimè
 existimari vlla me oblivione tui representandum.
 id in hoc tempus distulisse, cùm non ignorarem te
 illam

illam maximè auere: sed eorum iniuriã, quibus
 illam commodaueram describendam, nisi igna-
 riam dicere, aut inertiam malis. Credo autem id
 iam tibi memoria excidisse (est enim magni ani-
 mi, officij alterius obliuisci, meminisse sui) mihi
 quidem, cui dependendum erat, ita infixum ani-
 mo hesit, vt cùm primùm licuit, nihil potius mihi,
 atque antiquius fuerit, quàm vt id tibi primo
 quoque tempore curarem. Orationem verò ad
 me Roma misit, Perseus Catanus, vir quidem
 multis alijs nominibus mihi maximè amandus,
 virtute, probitate, ingenio, optimarum artium stu-
 dio, mirifica in me animi beneuolentiã & ma-
 gnis in rebus mihi cognita & perspecta, sed non
 minimum mihi hoc officio persoluendo. Adole-
 scentem hunc, credo, Parauij nosti, optima illum
 indolis, & spei: vnde iam quintum abhinc annum
 Pisas profectus, magna sua cum laude superata
 omnium de se expectatione, cùm summa esset,
 Gymnasio praefuit. Tamen si autem est eo ingenio,
 vt cùm bene de aliquo promeritus sit, sibi tum
 fieri beneficium maximum putet: non vna ta-
 men

men de causa est illi à me gratia referenda. Nam cum in eo mihi gratificatus est, quod totum illius fuit, ut alia ad me scripta doctorum hominum mitteret (neque enim ego, etiamsi mihi erant magnopere expetenda, Lazari magis, quam aliorum, postulabam) tum ut eodem tempore tibi gererem morem, id quod fuit fortunæ & casus, genere scriptorum mittendo perfecit. Est autem proprium illius, hoc est, summæ fœlicitatis, ut cum nunquam nolit, aliud etiam agens, beneficium rectè ponat. Leges orationem, Sylui, à me descriptam è corrupto admodum & deprauato exemplari, sed ita tamen, ut quantum licuit assequi coniecturâ (non enim ubique integrum fuit) multis in locis emendarim. Nosti hominis ingenium. Cum non magis illi sua, quam aliorum, placerent, tametsi eadem, ut illius omnia præclara, aut suppressa habebat, aut concerpta statim, ita à calumnia inuidorum vindicabat, à qua ille re, ut nemo unquam alius magis, visus semper est abhorrere. Hanc porro orationem, cum iam XX. abhinc annis Thucydidem, & Liuium explicaturus, Patavij haberet,

appa

apparet à studioso magis, quam erudito adolescente fuisse exceptam. Nam Catanæus, credo, quò officium alacritate & studio cumularet, neque lectam à se, statim ad me curavit perferendam. Perbrevis quidem oratio est, sed qua cumulatè historiam, atque adeò ut nihil omissum sit, quod eius argumenti videri posset, laudavit. Interfui ipse orationi adolescens, atque cum nunquam ab optimi senis, & sanctissimi latere discederem (neque verò facile erat dijudicare, utrum in illo comitas, atque ingenij lenitas maior, an optimarum artium scientia, cum in omnibus excelleret maxime, inesset. Cetera tu nosti, quæ iam ferri debent à nobis animo equiore, quando iactura incommodum perbelle licuit studio & sedulitate amicissimi hominis sarcire. De Danièle Padua, ac Gradenico fratre, si quid habes explorati, velim me facias certionem: quorum alterius causa, etsi nullo meo compendio fieri quenquam improbum velim, cum id sine multorum iniuria & maleficio possit accidere, gaudeo barbari illius impuram cohortem, cuius iam celebre nomen est,

o non

non modo Antuerpiensi conuentu maximo, & nobilissimo, sed in Europa etiam vniuersa (παρε-
 τίδει δ' ἡμῶν ὄλως ἐκ κριβάων βῆς) sic spem
 omnium elusisse: me quidem nunquam fefellit.
 & τίς εἶδεν ὡπότε βῆς κριβαίτας; at ma-
 gni homines assum etiam elephantum: ita eorum
 erant magnifica verba. ἀχθουαί γω πρὲς βῆς
 & τοῖς ταῦσι, τοῖς τ' ἀλαζονέμασι. O ho-
 mines elegantes! Itane verò? quinquaginta milli-
 bus amplius, barbaro homini (quid enim ille ha-
 bet præter hoc vnum) nulla accepta fide, nullo
 sponsore credidisse! Tantum autem potuit siue
 ὡγωνατοφία nescio quæ, siue πρὶ βαυνοφο-
 ρία (audienda sunt prodigiosa nomina, quando
 res sunt prodigij similes & ostenti) vt cum per diu
 neminem in corona imperitorum hominum fe-
 fellerit, in foro celeberrimo, ac frequenti gentium
 omnium conuentu callidos homines, & qui, cum
 cauti semper in alijs rebus omnibus sint, nunquam
 satis sibi cauti esse in credendo videntur, in gra-
 uem adeò, & pudendum errorē induxerit: quan-
 quam isti regio ornatu, & minimè πρὶ βαυνο-

φορο

φορῶτες. Sed parui refert, vtrum obsoleto &
 sordido pallio, an lauto & nitenti quis fallat. O
 diem mihi expetendum, quo mihi liceat in ve-
 strum complexum venire. Ne sim saluus, Vonice,
 ni omnes aule delicias cum vnico vestro con-
 gressu tum sim libentissimè commutaturus. Gra-
 denico velim hæc legas: qui si mihi adolescens cre-
 didisset, nunquam tanti fecisset hos ὡγωνατοφί-
 φῶς, vt agrè ferret eorum iudicio sua scripta
 improbari. Ego ne pilo quidem minùs illa admi-
 ror, elegantissima enim mihi semper, atque orna-
 tissima sunt visa. Ego autem? imò quis non pro-
 bat, quæ isti improbant? Hæc scripsi è Laurentia-
 no, quæ villa longè amœnissima Luca altero mil-
 liario distat, propter viam, qua Pisas itur, quæ
 item vrbs sex mill. passuum abest, vt scias etiam in
 deligendo loco me rei familiaris rationem ha-
 buisse. Ita enim neque villam vrbs querit, neque
 villa urbem, si quando solitudinis & frequentia
 vicissitudine est satietas fugienda. Hunc tamen
 ego recessum quæsiui assiduis concursationibus
 fessus, quæ me iam penè, Europa lustranda, con-

o 2 fece

fecerunt. Itaque quando habeo, quò me abdam, sum in libris totus, neque modo non desidero frequentiam, sed etiam odi. Atque si quid tamen nobis deest, id omne est positum in vno te: qui si occurreres desiderio nostro, quod iam vix ferimus, atque huc aduolabis (licebit autem id tibi per æstatis ferias) caue putes, quicquam eo nobis elegantius, amœnius, altius visum iri. Valeas, mi Sylui, atque plurimam salutem impertias meo nomine Bonsemlanti, atque Alberto fratribus suauissimis, quibus si potueris probare meum studium & amorem (non enim est tibi facile futurum) planè me beabis. Sic enim statuo, cum quidem (id quod necesse fuit in magno rerum usu) mihi multorum consuetudine uti licuerit, atque eorum adeò, in quibus causæ amoris insignes, & multæ essent, neminem aut morum elegantia, aut ingenij suauitate, aut fortuna vllis, atque animi ornamentis, quæ studia populorum magnis viris, & gratiam conciliant, ijs duobus fratribus amabiliorem inueniri posse. Iterum valeas, & me, ut cœpisti, amare pergas. Ex
Lauren

Laurentiano, Calendis Decembris.

Lazari Bonamici viri longè doctissimi in Thucydidem, & Liuium præfatio, siue de Historiæ laudibus.

Decimus nunc annus agitur, Magnificentissimi, ac iustissimi Prætores, ex quo Veneti Senatus decreto profectus in hanc eruditissimam ciuitatem, arduam ac perdifficilem prouinciam Græcè, Latineq; proficendi vacuam & ab alijs desertam multorum rogatione suscepi. Quo toto tempore, multis à me ex hoc loco habitis orationibus, neminem neque priuatum, neque magistratum huc inuitatum fuisse, omnes testari possunt, qui nos audierunt: eorum eram contentus frequentia, qui nostrorum studiorum causa in hunc locum venissent: quos si adhortando, admonendo, quantum in me esset, ad hæc præclara studia impellendo, iam penè amissam veram illam disciplinam veterem reuocare, ac referre conatus essem, satis me huic mihi demandato muneri fecisse arbitrabar. Vocare verò alios vel ambitionis, vel fauoris,

uoris, vel utriusque rei causâ, vehementer à natura ipsa mea, meoq; iudicio abhorrebat. Te verò M. Antoni, teq; Hieronymi Corneli, non solum quia alter vestrum Græcè, Latineq; doctissimus, & in Philosophiæ studijs excellens, sed etiam quia dum hîc adolescentulus bonarum artium gratiâ fui, suppeditandis ex optimis bibliothecis, veterum authorum libris, & postea Bononiam vsque mittendis, maximo mihi adiumento ad percipiendam variam rerum cognitionem, alter omni genere magnificentia, atque animi magnitudine ornatus in me sæpe liberalis, uterque sanè pari à me semper pietate cultus fuit: facile in hunc locum venire sum passus: ut si quid me profecisse in literis iudicaretur, illud quale, & quantumcunque esset, hoc meo grato testimonio intelligeretis alteri me vestrum magna ex parte attribuendum, alteri dicendum, utrique consecrandum confiteris. Dicendum enim est mihi hodie primum, qua de causa ad historiarum enarrationem me contulerim: deinde quæ dignitas, quæ utilitas cum summa voluptate inde proficiatur: tum de ipsis authori

thoribus, quos hoc anno nobilissimis adolescentibus cognoscendos proposui Thucydide Atheniensi, ac Livio Patavino. Ac primum quidem non ita multis verbis opus mihi esse arbitror: quid enim honestius, aut quid tam propè necessarium videri poterat, quam cum hoc munus meum in Poëtarum, Oratorum, atque Historicorum interpretatione versetur: & ex Poëtis iam Virgilium, Horatium, Lucretium, Homerum, Hesiiodum, Pindarum, Theocritum: ex Oratoribus verò Ciceronis, ac Demosthenis nobilissimas quasque, atque optimas orationes interpretando, vias & rationes illarum vobis, ut situm in nobis fuit, aperuerimus: ad historiam tandem aggredi, hoc præsertim tempore, quo in tanta magnitudine rerum vel terra, vel mari gerendarum, pulcherrima nobis ad scribendum, & cum veterum memoria comparanda materia præbetur? Nihil dico, quòd mihi ex hoc numero, qui adsunt, hanc à me operam efflagitauerint: habuerunt autem me non solum facilem ad hunc laborem, sed etiam alacrem, & erectum. Intelligebam enim (ut de eo

e. 4. loquar,

loquar, quod secundum paulo antè proposui) in
 historiarum cognitione, summum splendorem,
 maximas ad maximas res opportunitates, incre-
 dibilem delectationem inesse. Nam si Philosophia
 omnium præstantissima, atque omnium artium
 quodammodo Regina & est, & à viris doctissimis
 habetur, si considerauerimus quamobrem in tan-
 tum honorem ascenderit: reperiemus historiam
 nihil ei cedere. Siquidem in Philosophia cum
 multa admirabilia sint, nihil tamen admirabi-
 lius homine, nihil præstantius est: ut merito Chal-
 dæus ille Sapiens multorum stultitiam accusaue-
 rit, qui tanto studio videndi tenerentur, vel quem-
 admodum se Chamæleon in eum colorem in-
 dueret, cui adheresceret, & propterea manus
 piscatorum effugeret: vel illos pisciculos remoram,
 inquam, & torpedinem admirarentur: quorum
 altero longissimè in rete capto, trahentis manus,
 dum rete colligitur, torpescerent, alter cōcitate na-
 uis impetum, quam ne mille quidem paria boum
 sisterent, remoraretur. Multa id genus colligebat
 Chaldæus ille, quæ qui scire, aut videre concupi-
 scerent,

scerent, eos non tam reprehendebat, quàm admi-
 rabatur: cum ipse homo natus non maiore stu-
 dio hominis excellentiam contemplari niteretur:
 qui non se in colores, ut Chamæleon, sed in omnia
 pariter sentiendo, intelligendoq; conuerteret: non
 longè positus piscantium manus, ut torpedo, tan-
 geret, sed in terra, tenebris, & carcere cæco, ut ait
 Poëta, clausus in cælum vsque penetraret, seseq;
 cum Dijs immortalibus commisceret: non na-
 uis cursum, ut remora, retardaret, sed sapientissi-
 mis sæpe consilijs, diuinaq; dicendi ratione & bel-
 lorum impetum frangeret, & populorum seditio-
 nes sedaret, atque opprimeret. Huius præclari ac
 diuini animantis ad duas res nati, intelligendum,
 atque agendum, consilia, facta, dicta in historia
 memorantur: traduntur artes, quas quisque in-
 uenerit, quo modo, quòue tempore inuenerit: tota
 denique memoria antiquitatis eruitur, & in con-
 spectu quodammodo nostro ponitur. Per hanc
 Populi Romani, Atheniensium, Lacedæmonio-
 rum, omnium gentium publicæ res, priuatæq; no-
 scuntur: per hanc leges & instituta, omnesq; bene
 o s geren

gerendæ Reipub. rationes, non commentitiæ, ut apud Philosophos, sed quæ aliquando fuerunt, exponuntur. Hæc Africanum disciplina Cyri informavit: hæc Alexandrū eiusdem Cyri emulatione erudiuit: hæc Themistoclem Milciadis trophæis excitauit, hæc præstantissimum quenque præstantium virorum imitatione, gloriaq; inflammavit. Sine hac omnium Imperatorum res gestas oblitio consumeret: nulla laus, nulla gloria extaret: non viuerent Scipiones mortui, non Carcelli, Fabij, Cæsares, Alexandri, Annibales, innumerabilesq; alij in ore posteritatis resonarent. Quid porro sine ea esset amplum, aut magnificum in vita, quod imitaremur? quæ exempla nos ad bene beateq; viuendum incenderent? Complector breui, quod sentio: historie ignorantia omnia tenebris obruta iacerent, omnes pueri essemus. Hæc est magistra vitæ, nuntia veritatis, lux virtutum omnium, ex cuius lectione qui summæ non capiant voluptates, eos omni sensu carere putamus. Quid enim delectabilius, quàm videre quibus quasi seminibus magnæ Respub. procreentur,

tur, quibus artibus, atque institutis adolescant, quibus rationibus conseruentur? Quid porro præstanti animo gratius, quàm clarorum virorum voluntates, curas, cogitationes, contemptionē mortis, vitæ splendorem, laudis cupiditatem, virtutis ardentissimos amores ex historia non nescire? Quod si aspectu florum, ac viridantium collium nemo se non recreari animaduertit: quid tandem cum animorum illos immortales non flores solum, sed fructus vberrimos, facta simul, ac dicta in historia intuemur, existimandum est? Equidem hanc honestissimam, fructuosissimamq; suauitatem longè omnibus esse anteponendam statuo. Quæ suauitas, quæ delectatio, qui fructus, quæ dignitas cum in omni historia est, tum in duabus maxime cernuntur: quarum altera est illius terrarum Principis, atque omnium gentium victoris Populi Romani: altera Atheniensium simul, & Lacedæmoniorum, qui ingeniorum claritate, artium inuentione, & perfectione, animorum magnitudine, Senatus prudentia, educatione iuuentutis, terrestri maritimaq; potentia in primis nobi

nobiles quondam floruerunt. Ab his propè plura virtutis exempla edita sunt, quàm vel Philosophi scribendo complecti, vel reliqui omnes mortales præstare potuerunt. Horum res gestas, Atheniensium dico, & Lacedæmoniorum Thucydides Græcè: Romanorum T. Liuius Latine monumentis literarum prodidere: elegantia, prudentia, gravitate, artificio inter se similes: quanquam noster aliquantò vberior, & dulcior, seuerior Græcus, & compressione sententiarum adstrictior: nostri apertior, & in orbem currens oratio: Græci interdum obscurior, nec satis, ut ita dicam, rotunda. Affectiones quidem mites, & aptæ etiam ad persuadendos leni quadam voluptate legentium animos apud nostrum: summæ apud Græcum remissiones: motus verò vehementiores, per quos in animos audientium irrumpit oratio, atque eos quocumque vult rapit, in utroque pares, vterque certè in suo genere princeps. Sed de Thucydide plura, cum eius interpretationem auspicabimur. Nunc verò quomodo, Patavini viri, cuius vestri laudes reticere possum? quas eò quàm brevissimè

percur

percurram, quòd est ostensurus ipse quotidie, quæ sua sit orationis copia, & varietas, quàm in exponendis rebus, temporum, locorum, personarum prudens, diligensq; observatio, quales rectè administrandæ Reipub. admonitiones, qualia documenta, quanta, & quàm admirabilis in concionibus vis: ut, tanquam Pericles alter, fulgere, tonare, omnem denique Italiam, atque omnes terras, in quibus Latine scitur, permiscere videatur. Huius nomine ac fama ab extrema vsque Hispania & Gadibus, eruditissimo etiam illo, ac felicissimo Augusti seculo, nobilissimos homines Romanos venisse accepimus, statimq; ut eum viderat, abisse: ne id magnificentia, ac maiestati tantæ urbis, in qua orbis terræ Imperium visebatur, dedisse viderentur. O singulare diuini seculi de diuino homine iudicium. Hunc Diuus Hieronymus lacteo eloquentiæ fonte manare iudicauit: hunc M. Fabius supra quàm narrari possit, eloquentem appellauit: hunc omnis posteritas admirata est. Iucundus est adolescentibus & ad alendam Latine linguæ elegantiam, & copiam idoneus author:

robust

robustiore[m] verò etatem vel gravitate sententiarum, vel delectu verborum, vel explicatione maximarum rerum, adhibita prudenti personarum, temporum, ordinis observatione, vel locorum descriptione; vel ornandi omni genere & retinere in legendo potest, & imitatione sui ad summam eloquentiæ gloriam perducere. Agite igitur, adolescentes, vos omnes potissimum appello, quos Rempub. regere vestra aliquando nobilitas sinet, quiq[ue] ex optima Romanæ Reipub. institutione, vestram rectè administrare, & clarorum virorum consilijs, factis, dictis meliores, ac prudentiores fieri: qui copiam simul, varietatem, vim dicendi comparare voletis, hunc sequimini ducem, huius scripta dies, ac noctes in manibus habetote, per quem hæc omnia adipiscamini. Ego quoque (ut de mea erga vos studio aliquid dicam) nusquam à vobis abero, contendam omnibus nervis, omnem interpretandi diligentiam præstabo, nihil ut vos in tanto authore fugiat, nullum denique amanti-
tissimi, fidelissimi, liberalissimi vel præceptoris, vel socij officium à me vobis defuturum, per illa
ipsa

ipsa T. Livij ossa, quæ in angulo Prætorij asservantur, quorum causa ab Alphonso Rege Legatos Venetias, atque inde in hanc urbem missos esse scimus: quæ cum contemplor equidem religione quadam commoveor, per illa, inquam, T. Livij ossa iuro, nullum à me vobis, neque amanti-
tissimi, neque fidelissimi, neque liberalissimi aut præceptoris, aut socij officium defuturum. Quod ut planius perspicere possitis, iam T. Livium ipsum suis scriptis veras suas laudes declarantem audiamus, ab ipsius statim operis principio nos quoque excorsi. Sed quid ago ineptus? quò me cogitationes, & hic tam concitatus orationis impetus abstulit? Egone coner eos docere, qui honoris mei tantummodo causâ huc venerunt? quin potius vobis, magnificentissimi, ac sapientissimi Prætores, vobisq[ue] reliquis cuiuscunque dignitatis, ornatissimi Viri, ob hodiernum in me collatum honorem, quas possum pro tempore gratias ago, habiturus posthac, dum vivam, tantas, quantas animus meus concipere poterit.

P E T R

PETRVS ANGELIVS BAR-
gaus Ioanni Michaëli Bruto S. P. D.

LEgi eam partem historiae tuae, quam à me
legi passae sunt & angustiae temporis, &
occupationes meae tum plurimae, tum grauissima.
Quod si ego quoque, vt ille inquit, λέοντα aesti-
mem ἐκ τῶν οὐρίχων: possum equidem affirma-
re te ex tanto, tamq̄ illustri labore tuo magnam
esse laudem apud homines consecuturum. Nam
praeterquam quod purè, castè, Latine denique at-
que ornatè scribis, tanta est etiam in concionibus
prudencia, tanta in narrando fides, vt hinc mini-
mè dubia ad vitae rationem instituendam exem-
pla ducere, illinc artem quasi quandam percipe-
re homines possint rerum agendarum: qui fru-
ctus mihi esse vnus videtur ex historiae lectione in-
primis appetendus. Et haec quidem, vt vides,
καθόλως; καὶ μέγος δὲ: non possum satis mirari,
mi Brute, illos, à quibus intelligo tuam hanc hi-
storiam reprehendi, quod populi Florentini res
gestas eo verborum genere ornaueris interdum,
quo nobilissima, ac maxima cuiusque Reip. facta
ornari

ornari consueuerunt. Nam si omnino ita existi-
mant, ignorare planè videntur & Graecorum, &
Romanorum res ita fuisse ab omnibus perscri-
ptas, multò vt esse maiores putarentur opinione
hominum, quàm re ipsa fuerunt. Quis enim du-
bitat, quin Troianorum in Italiam aduentus à
scriptoribus & Latinis, & Graecis tantopere ce-
lebratus, vt Lacedaemonios, Thebanos, Athenien-
ses, Corinthios, ceteros omittam, quorum Respu-
blica, si verum quaerimus, cum aut nullas, aut
paucissimas res gesserint memoratu dignas, elo-
quentissimorum hominum scriptis, atque illustri-
bus testimonijs ac monumentis factum est, vt ma-
gnopere floruisse credantur, & rerum gestarum
gloria & magnitudine praestitisse: sed tamen
quis dubitat, quia Troianorum aduentus obscuris-
simus, origo vrbis Romae humilis, & minimè ge-
nerosa, Imperium plus minus cccc. annos eius-
modi fuerit, vt non modò ab Hetruscis, qui tum
erant potētissimi, sed à Veijs, Volscis, Antemna-
tibus, Crustuminijs, à Ceninensibus nescio quibus
contemneretur? Et tamen, quid est, quaeso, quod
p maiore

maiore cum animi admiratione hodie vel legatur, vel audiatur, quàm quæ tum à Romanis domi, forisq; acta sunt? Mihi quidē ea tempora cum his temporibus comparanti, atque in hominum naturas & ingenia valde diligenter inquirenti venire in mentem solet aut Deos fuisse aliquos, qui tum illi Reip. præfuerunt, aut doctos & eruditos homines dicendo, ac scribendo effecisse, ut quæ ne esse quidem potuerunt, ea tamen fuisse sine vlla dubitatione crederemus. Quod quàm sapienter factum sit non disputo: illud disputo hunc errorem, si modo error is est, qui nos ad laudem solet incitare, tibi cum Thucydide, cum Xenophonte, cum Herodoto, cum Liuiio, cum Salustio, cum omnibus communem esse. Cuiusce quidem rei cum multa esse argumento possunt alia, tum illa in primis, quæ Græci de Alexandro Macedonum Rege memoriæ prodiderunt: quæ non modò veteribus, qui ab eius ætate non multum aberant, sed etiam nobis ipsis, ut vera probari nunquam potuerunt. Ergo illis ad alicuius nomen illustrandum, memoriãq; posteritati propagand

pagandam mentiri licuit, & quidem ita mentiri, ut eos id facere, lateret neminem: nobis quæ vera sunt, ornatè memorare, atque amplificare verborum sententiarumq; grauitate, & pondere non licebit? Sumus, mi Brute, sumus, inquam, iudices in nos ipsi seueriores, quàm oportet: quanquàm Petrus Bembus U. C. ne nunc M. Antonium Sabellicum, aliosq; permultos commemorem, qui idem fecerunt, in historia perscribenda rumores eiusmodi planè contempsit: quippe qui Venetorum res eo scriptionis genere persecutus est, quocum elegantius inueniri vix quidquam possit, eorum præclare facta mirabiliter ornauit, dicendoq; ac scribendo consecutus est, ut ea multi audeant penè cum florentissimæ illius Rom. Reipub. factis comparare. Quorū iudicium, quanquàm ego facile adduci possum, ut verum esse statuam: alij tamen minimè blandi, nostrorumq; temporum atque hominum parum studiosi ac fautores aliter & sentiunt, & loquuntur. Atque hoc quemadmodum à me non dicitur, quòd tantæ Reip. gloriam vel obscurari cupiam, vel aliqua ex parte
 p 2 minui:

minui: sic etiam eò minimè pertinet, ut quoniam populi Florentini res à te plus omnino, quàm res & veritas patiatur, augeri, atque ornari videantur, hac ipsa scilicet ratione te tuearis ac defendas (fuerunt enim illæ tum magnitudine, tum casuum varietate amplæ, illustres, mirificæ, neque mehercule vllius Reip. rebus, si Romanos, & Carthaginienſeis exceperis, inferiores) sed ut ostendam, eos, qui te propterea reprehendunt, non omnino rationem scribendi tuam reprehendere, sed surgenti potiùs, ac nunc denique reuiuſcenti Hetruscorum gloriæ inuidere. Perge igitur, ut incæpisti, & quod iam à te summis vigilijs perfectum est, ne patiari diutius desiderari ab hominibus nostris. Neque enim illi tibi minùs debebunt, qui res tantas huiusce vr̄bis tam elegantè oratione perpolieris, quàm ijs ipsis debeant, à quibus tantum Imperium, quantum quidem nunc est, maximis laboribus fundatum, & virtute stabilitum sua acceperunt. Vale.

FRANC

FRANCISCVS LVISINVS IO.

Michaëli Bruto S. P. D.

Nondum satis constitui, tuâ ne mihi consuetudo maiorem hîc attulerit voluptatem, an tuus me ex Hispania discessus vehementiùs commouerit. Cùm hîc eras, Brute, nihil mihi vnquam fuit optabilius, quàm esse tecum, quàm curas & cogitationes omneis communicare. Et quia sæpe soleo, ut scis, dolore confici, quòd luce Italia, quòd doctissimorum hominum sermone, & familiaritate caream: tuus me statim aspectus ita recreabat, ut in te vno acquiescerem, tua mihi probitas, atque excellens eruditio ita omnem eripiebat mœrorem, ut cùm te mihi licebat per occupationes tuas frui, animum penitus relaxarem: tuarum verò me lectio historiarum, quibus res gestas Florentinorum complexus es vehementer delectabat. Scriptæ enim sunt à te summo dicendi artifice: in quo nec gravitas sententiarum, nec vbertas desideratur orationis. Quo fit, ut suauissimè animos hominum erectos in legendo retineant, & præclare cum Medicea in primis familia,

p 3 deinde

deinde cum alijs florentissimis viris esse actum iudicem, qui in tua scripta pervenerunt, quorumq; fortunæ varietates, & vicissitudines monumentis illustrantur, & celebrantur tuis: nam tu nobis quasi temporum imaginem non Italica quidem lingua, sed Latina expressisti. Latina enim linguæ gloria non Italia limitibus, ut Hetrusca, sed terrarum orbis finibus terminatur. Historias à seniore Cosimo exordiris, iamq; ad Leonis X. Pontificatum perpetuo eas ordine deduxisti: ac Cosimi primùm ancipites, variq; casus, invidia, quam inimici ei homines constarant, exilium, reditus in patriam honestissimus incredibilem quandam habent admirationem: Petri verò senioris virtus, quæ in eo, licet aduersa semper valetudine conflictaretur, tamen elucebat, cuius animum non explere iucundissimæ lectionis voluptate possit. Consequuta sunt postea turbulentissima rerum tempestates, cum Resp. bellis vexaretur, quòd Reges ferre Laurentij amplitudinem, & splendorem non poterant. Ille verò, ut patriæ rationibus consulere, summis vitæ periculis exponere, atque

opes

opes suas profunderere non dubitavit. Leo demum Laurentij filius, cuius virtutes laudibus in cælum fers, dijs, hominibusq; approbātibus Pontifex maximus creatur. Et quanuis reliqua cum his contexere, quæ patrum nostrorum memoria sunt gesta, constituisti, hoc mihi tamen temporis spatium summam attulit, mi Brute, delectationem: nunc quia te, tuisq; scriptis careo, vitam mihi penè acerbam puto. Quòd nisi te assidue occupationes distinent Lutetia, ac Lugduni, da, quaeso, ad nos literas aliquando, quibus nihil accidere potest nobis optatius. Oratiunculam meam ad Philippum Regem de Isabella Ualesia Regina, quam petis, mittam ad te libenter, ea conditione, ut lectam, statim conscindas: nam quanuis ego omne in eam studium, omnemq; industriam contuli, non est tamen cum alijs, tuâq; illa in primis ad Carolum V. Augustum nec exquisitis sententijs, nec verborum luminibus comparanda. Vale.

Toleti, IIII. Id. Februarij, M. D. LX.

EPISTOLARVM
CLARORVM VIRORVM
LIBER II.

*

Varij argumenti.



IOANNES MATTHÆVS GIBERTVS

Episcopus Veronensis Ioanni Genesio
Sepulcedæ S. P. D.



ETSI ex amicorum literis de
nova ista tua profectioe atque
consilio certior antè factus fue-
ram: non negabo tamen, iucun-
dissimum accidisse, me ex tuis
potissimum literis idem postea cognovisse. Etenim
ea res magno mihi argumento fuit, me ex animo
abs te semper fuisse dilectum, cum hoc tempore, in
istis occupationibus, atque ista adeò nova Cæsaris
familiaritate animaduverterim, te neutiquam pas-
sum esse mei memoriam ex animo tuo excidere.
Ac quòd tu quidem tanti Principis iudicio di-
gnus

gnus habitus sis, qui in ipsius domesticorum nu-
merum adscitus, eius res gestas gerendasq; moni-
mentis literarum mandes, ac posteritatis memo-
ria tradas: sanè haud facile videor mihi posse ex-
plicare, vtrum tibi magis, an illi gratulandum
putem. Siquidem quod ad te attinet, non possum
dubitare, si tu in hoc scribendi genere historiae ac-
commodato, quemadmodum in cæteris, quibus
adhuc animum applicuisti, elaborare volueris, fu-
turum, quin pro egregia tua opera egregium etiam
præmium appareat. Quanquam, vt nihil aliud
esset, satis magna semper laborum atque ingenij
tui merces esse posset, eaq; ingenuo viro maxime
digna, quòd tanti Principis iudicio, vnus tu præ-
cipue ex omnibus literatis delectus dicereris, cuius
ingenio, atque eloquentia, adde etiam in se bene-
uolentia, res ille suas alioqui per se clarissimas
semper futuras, illustrandas committeret. Quan-
uis neque ille, credo, non prudentissime (vt omnia
sua) hac in re, hoc suo consilio vsus est, quòd intel-
ligeret ad egregiam quam ad istam rem faculta-
tem es apportaturus, vt res eius exornes, beneuo-

p s lent

lentiam etiam quandam, necessario quasi esse
 adhibiturum: quippe cum facere non possis, quin
 ad eius precipuas laudes communeis etiam natio-
 nis tue adiungas. Quocirca utrique magnopere
 gratulor: tibi quod in id solum incidere, ex cuius
 diligenti cultura, non nisi uberrimos fructus meo
 iudicio sperare possis: & illi item rursus, quod in-
 dustrium, adeo ac diligentem, ac benevolam sibi
 hominem nactus sit, qui quae egregie in illius fundo
 nata viderit, ea non modo non deperire passurus
 sit, sed longe plura si fieri possit, ac certe nitidiora
 effecturus. Quod autem de seuerioribus musis scri-
 bis, te videlicet iussurum illas, ut interea dum in-
 ter medios armorum strepitus & tormentorum
 fragores versaberis, huc ad nos appropere, no-
 biscumque maneat, est sane istud etiam tui erga
 nos amoris signum vel precipuum: cum videlicet
 quae charissima habes, ea te apud nullos melius
 depositurum putes quam apud nos. Sed ea metuo
 ego, ne tui desiderio minus libenter sint apud nos
 permansura: neue tandem nobis relictis, te in ca-
 stra potius prosequantur, ibique tecum molestis illis
 perfe

perferendis malint consuescere, quam hic in paca-
 tissima quiete nobiscum viuere. Vale. Verona
 VIII. Cal. Sextil. M. D. XXXVI.

Scripta iam epistolâ, neque dum tamen obfi-
 gnata, redijt ad me Flaminius meus, qui mirabi-
 lia quaedam mihi de opera tua narrauit, quam tu
 apud se mihi, si vnquam vsus veniret, liberalissime
 pollicitus sis. Ego mi Sepulveda, & si nullum in
 ista pollicitatione noui amoris signum video: quod
 nativo illo tuo ingenui animi candore confisus,
 meique item contra in te optima conscientia, cui
 non ita fortasse facta respondere potuerunt, nun-
 quam potui dubitare, me abs te non vehementer
 diligi, ac propterea, quicquid istius modi inter nos
 fieret, non debere mirum videri: tamen non secus,
 atque si id mihi permissu tuo facere liceat, gratias
 ago, petoque, ut quam haecenus in me tam gratam,
 tamque liberalem voluntatem pra te tulisti, & pra
 te ferre quotidie non desistis, mihi posthac perpe-
 tuo conserues, de meque vicissim tibi ea pollicearis,
 quae de viro tibi amicissimo vnquam posses polli-
 cere. Iterum cura ut valeas.

IOANNES GENESIVS SEPVLVEDA

Ioanni Matthæo Giberto Episcopo
Veronenfi S. P. D.

E Pistola tua hoc sum vehementius delectatus, quò maiorem mihi nuper dolorem attulerat tristissimus quidam de te nuntius, qui per Urbem cum magno mœrore nostro, id est, tuorum omnium increbuerat. Itaque tibi gratulor primum, nobisq̄ gaudeo, deinde venio ad eam partem epistolæ tuæ, qua me ex Clementis Pontificis Maximi voluntate, cuius ipse te interpretem esse voluit, dum me in huiusmodi descriptionibus amplius cessare vetaret, adhortaris, ut paraphrasin potius Ethicorum Aristotelis conscribam, quàm ut eiusdem De Repub. libros conuertam, de quibus ego in meis literis memineram: & illud pro tua summa modestia adijcis, modò mea nihil intersit, hic mihi, an ille labor iniungatur. Ego verò in minimo discrimine pono, cui nulla est alia ratio, negotium suscipiendi, quàm si posset mea industria, dum Pontifici, tibiq̄ morem gero, studia Latinorum Philosophorum aliqua ex parte iuuare.

A' quib

A' quibus quoniam librorum Aristotelis De Repub. commodiorem interpretationem multùm sciebam desiderari: sperabamq̄ illis meam operam, & in eo præstando diligentiam nec inutilem fore, nec ingratham, de hoc ipso te celandum non putavi. Tu tamen (ut video) morum doctrinam quæstioni præfers de Repub. & meritò præfers. Nam summo bono constituto, maior esse debet cura, quo modo vitam rectè instituamus, quàm ut sciamus quæ sit optima Reipub. forma: licet vtraque disciplina dignissima sit ingenuo viro, & maximas habeat commoditates, multaq̄ præcepta ad eandem facultatem, hoc est, ad moralem Philosophiam pertinentia. Atque equidem peruelim, si quid in mea industria positum sit, mihi tempus & otium dari, quo possim vtrique cum aliqua publica commoditate inservire: quam occasionem nec despero: nec, si mihi contingat, in animo est perire pati. Faciam igitur quod iubes, teq̄ authore laborem, longum licet & operosum, suscipiam libentissimè. Et quanquàm difficile est eo in loco non vulgariter versari, in quo multi di-

ligent

ligeriter elaborauerint, dabo tamen operam, ut neque ego temerè suscepisse, nec vos sine causa mihi negotium iniunxisse videamini. Quod eò confidentiùs aggrediar, quoniam tria de moribus opera, hoc est, ἠθικὰ νικομάχεια, ἠθικὰ μεγάλα, & ἠθικὰ εὐδήμια, in quibus Aristoteles easdem res vario sermone tractauit, ipse mihi letitando reddidi superioribus diebus paulò familiariora, dum libellum scriberem, qui iam nobis peractus sancitur, de conuenientia militia cum Christiana religione: in quo ad Theologos cum Peripateticis in doctrina morum conciliandos, & multas utrisque communes, variasq; quaestiones è re natas accuratiùs differendas, necesse fuit hinc sacras literas, inde Aristotelis omnes velut arculas diligenter perscrutari. Sed quò res commodiùs fiat, tuæ partes erunt per literas agere cum Pontifice Maximo, ut nobis liceat ipsius voluntate Eustratii horum librorum enarrationes ex bibliotheca Vaticana mutuari. Vale. Roma, Idib. Febr. M. D. XXXIII.

PETR

PETRVS VICTORIVS REGI-
naldo Polo Cardinali S.

Non eo consilio (vir optime) calamum sumpsi, ut te consolarer, doloremq; illum minuerem, quem cepisti ob interitum M. Antonij Flamini, probi hominis, ac summis ingenij dotibus praediti: neque enim tantum mihi tribuo, ut fortem virum, vsuq; ac doctrina nostra imbecillitatis peritum audeam monere, aut tibi eripio, quem scio nullo negotio quidquid remedij huic malo adhiberi potest, per se ipsum inuenturum: sed ut tecum aliquantulum de graui hac plaga per literas loquerer, quæ cunctos optimarum artium studiosos meritò perculsit: in quibus cum ipse inferiorem locum teneam, acumen tamen ingenij, illius vitæ sanctitatem, præclaram eruditionem, morum elegantiam in primis dilexerim, vel suspexerim potiùs, non potui mihi temperare, quin aegritudini parerem, ac de communi hoc damno tecum quererem. Amisimus enim morte illius florem Poëtarum, decusq; ac splendorem huius seculi, quod ille mirificè ornabat, ac plurimis, maxi-
misq;

misq̄ virtutibus suis illustrabat. Hæc autem ita
 de aliquo prolata non me fallit excuperantiam
 quandam amoris redolere, ac valde commotum
 animum eius, qui dicit, indicare. Quæ tamen de
 Flaminio edita, ne dum nimis, quam oporteat,
 laudem eius efferant, non plane, integreq̄ viden-
 tur illam explanare. Constat enim ipsum non
 cæteris tantum nostræ ætatis Poëtis facultate
 condendi carminis præstitisse, sed veterum etiam
 Latinorum gloriam & varietate poëmatis, &
 elegantia adequasse. Quanta autem fœlicitate
 ingenij obscuros sensus veterum scriptorum, &
 aut breuitate verborum, aut huiuscemodi aliqua
 caligine inuolutos explicare potuerit, eademq̄ di-
 lucide, ac copiosè tractare: nihil attinet docere,
 cum illi ipsi Græco homini, qui omnium iudicio
 huius rei palmam olim reportauit, non cesserit:
 quod & cantus Hebræorum Poëtarum ab ipso
 expressi, & duodecimus Peripateticorum prin-
 cipis liber de prima Philosophia declarauit. Te
 verò potissimum delegi, apud quem mœrorem
 meum restarer, cui scio mortem illius valde mo-
 lestam

lestam fuisse & commune hoc damnum spe-
 ctanti, & multis voluptatibus, quas quotidie de
 venustate illius, suauissimaq̄ consuetudine decer-
 pebas, carenti: cum eum domi tuæ aleres, in cœtuq̄
 honestissimorum tuorum sodalium haberes. Fuit
 enim semper hoc proprium virtutis tuæ, singula-
 risq̄ bonitatis, vt studia literarum foueres, præ-
 stantesq̄ in illis viros vehementer amares, atque
 omnibus, quibus posses, commodis auereres. Ac
 quem audiui omnia sedulo colligere, quæ tantum
 dolorem valeant mitigare, firmamq̄ illius memo-
 riam in animo tuo imprimere, cum formã etiam
 oris ipsius, diligenter olim apud nos expressam,
 hinc accieris, simulacroq̄ hoc etiam corporis pu-
 taris te posse adiuari: animi nanque effigies, im-
 magoq̄ vitæ extinguui, deleriq̄ ex pectore tuo non
 potest. Præter enim quàm quòd facta Flaminij
 honesta, grauesq̄ voces assidue tibi arbitror ob-
 uersari, monumenta ingenij ipsius, quasi speculum
 indolis, nunquã eam patientur euanescere, neque
 ex animo tuo tantum, sed eorum etiam omnium,
 qui non omnino auersi à Musis sunt, nec omnium
 q̄ delicia

deliciarum, ingenuarumque voluptatum rudes. Nam tibi magnam, certamque consolationem accepisti attulisse, quod sancte ille, pieque discessit e vita, atque ea constantia mentis, & alacritate, quae ab eo, qui ita, ut ille vixisset, ac vera religione imbutus esset, solo poterat expectari. Hoc enim, quod alij fortasse maiorem dolorem inuississet, cum cogitaret, se tali amico orbatum, sapientiae tuae non paruum solatium attulit, quae vidit ipsum illo extremo tempore se, ut Christianum decet hominem gessisse, atque honestae actae vitae finem similem addidisse. Ipse certe, qui non eo robore animi sum, neque tam alte in vera pietate radices egi, confiteor magnopere ereptum esse nobis talem virum, qualem fortasse nunquam futura aetas videbit. Quod si damnatum tantum spectemus, quod fecimus minoribus ipsius laudibus, tanquam luminibus quibusdam extinctis: iactura haec acerba, luctuosaque admodum est, nedum si exemplar humanae probitatis ablatum nobis, cogitemus: & tamen omnia sunt aequo animo ferenda, quae nos infirmitatis nostrae admonent. Quis vero, qui ea
grauit

gravitate animi, scientiaque Christianae pietatis, qua tu, ornat, instructique sunt (qui pauci tamen sunt) non ferenda tantum, verum etiam contemnenda. Quare gaude isto tuo eximio, praestantique bono, utereque his armis ad huiusmodi fortunae impetus propulsandos, nobisque ignosce, qui humi adhuc strati, his vulneribus tollerandis pares non sumus, & omnia denique tenui, imbecilloque animo iudicamus. Praecipue autem mihi, qui non tantum me ab atroci hac plaga, aegritudineque confici passus sum, sed in aliam etiam immerentem partem eius conieci, ac magnitudine doloris mei dolorem etiam tuum excitavi, obductamque fortasse iam cicatricem sine causa refricavi. Vale Florentia, XIII. Cal. April. M. D. L.

REGINALDVS CARDINALIS POLVS

Petro Victorio S. P. D.

Quanto dolore affectus fueris, vel mærore potius ex Flaminij nostri morte, optimi, & doctissimi viri, facile ex tuis literis intellexi: in quo quidem declaras, non modo quantopere tu il-

q 2 lum

lum dilexeris, quantiſq; feceris, ſed quantum etiam ipſe ob humanitatem iſtam amandus ſis. Nec verò hoc obſcurum ingenue nature tue, & probitatis ſignum, ac teſtimonium eſt, quòd homo in iſdem ſtudijs, in quibus ille excelluit, magna cum laude tot iam annos verſatus, æqualis tui obitum tam amanter defles, & eiſdem ingenium, ac mores ſummis efferſ laudibus. Sed quæ tu de Flaminij ingenio, ac præſtanti in optimarum artium ſtudijs, laude commemoravi: ea tibi, & cuius ex varijs illius, & elegantiffimis ſcriptis, æquè ac mihi cognita eſſe potuerunt. Illa verò, quæ maiora ſunt ex eius laudibus propter intimam, quæ mecum illi fuit, conſuetudinem, & aſſiduum multorum annorum conuictum, atque uſum, & faciliùs animaduërſa à me & proſpecta ſunt certius. Neque enim mihi quenquam videor aut maiore erga Deum pietate præditum cognoviſſe, aut ab omni earum rerum, quas vulgò homines admirantur, cupiditate remotiorem, aut denique in omnibus Chriſtiane charitatis officijs diligentiorrem. Itaque tali viro extincto, quem ego vnicè diligebam

ligebam, & à quo me ſummopere amari ſentiebam (ſi modo extinctus iſt eſt qui morte immortalitatem commutavit) negare non poſſum, quin ipſe quoque graviter ſim commotus: & cui ſuperioribus temporibus plurimæ aliæ, graviffimæq; calamitates inciderint, hanc nulla ferè earum leuiorem eſſe, exiſtimarim. Quòd ſi tu propter admirationem illius probitatis, atque doctrine tam graviter eius morte doluiſti, quid me tandem facere par eſt? qui his ipſis bonis aſſidue fruabar, quiq; prætereà ex ſuauiſſimis ipſius ſermonibus ſummam iucunditatem, ex amantiſſimis conſilijs maximum fructum in omni actionum mearum genere capiebam? Sed tamen, qui rebus aduerſis perferendis (Deo adiuvante) iam pridem aſſuefacti ſumus, quiq; omnia, quæ voluntate Divina eveniant, non forti modo, ſed æquo etiam animo patienda nobis eſſe ſtatuiſſimus: hoc noſtrum incommodum, graviffimamq; iacturam eo ferimus animo, quo debemus. Tantùm verò abeſt, ut illius vicem doleamus, ut etiam ipſius cauſâ gaudendum eſſe intelligamus. Etenim cui magis propitium, ac

placatum Deum fuisse, cuius facilius aditum ad eternam, & beatam illam vitam paruisse, censendum est, quam ei, qui (ut ipse quoque de eo sentis) & integerrimè semper, ac castissimè vixerit, & ex hac vita pie, sanctèq; discesserit? Profectò illius obitu dolere invidentis esset potius, quam amanti. Quare te quoque hortor, ut cum is tam præclare vitæ suæ cursum confecerit, hac cogitatione desiderium, quo ex illo afficeris, lenias. Quod facilius etiam assequere, si his literis, quæ ut sunt, ita appellantur Sacra, aliquid tui studij, & temporis impertieris: ex quibus, id quod ipse expertus confirmare possum, præter suavisimum quendam animi fructum, ac voluptatem, quam percipies, omnia, quæ euenire homini possunt incommoda (modo omnis spes nostra in Deo fixa teneatur) non tollerabilia solum, sed ad salutem etiam animæ vim habere maxime intelliges. sed hac hætenus. Ego, & tuum scribendi ad me consilium amavi, quod charissimam mihi, & iucundissimam Flamini memoriam, quanquam ea quidem, quoad vitam, ex animo meo effluere nunquam

quam poterit, excitaris, & de te iampridem ita sentio, ut eo amisso, non paruum Italiae in tua excellenti doctrina ornamentum positum esse arbitrer. Eo porrò sum in te animo, ut siquam ad rem opus tibi opera, & studio meo fuerit, ea tibi, ut ab homine talium virorum, qualis es tu, vehementer cupido, parata esse pollicear. Vale, meq; ama. Romæ IIII. Cal. April. M. D. L.

ROMVLVS AMASÆVS GVLIELMO

Pellicerio Christianissimi Regis apud Venetos Legato, patrono suo

S. P. D.

Quantum virtus tua ex aliorum iampridem, paulò antè verò ex tuis ipsius eruditissimis, ac suavisimis sermonibus mihi perspecta me tibi deuinxerit, grauiore cupio, & authoritatis pleniore, quam vnius epistolæ testimonio declarare. Illud certè nunc tibi affirmo, tanto me istinc tui amore incensum discessisse, ut inter multas, & minimè fortasse leues curas meas, eam mihi sentiam esse præcipuam atque antiquissimam, ut neque ficta, neque simulata, sed à tui

q 4 obser

obseruatissimo animo profecta, & expressa benevolentia tibi dem significationem. Et profecto nisi operam dederò, atque elaborarò, ut pro summa erga me tua non humanitate tantum, sed etiam liberalitate minimè vulgari, pro facultate mea gratiam tibi referre videar voluisse: ipse me neque gratum, aut memorem, neque tua tanti viri gratia dignum duxero. Quare quid conari, quid consequi possim, mox videro. Ac breui quidem spero aliquid mihi in mentem venturum, ex quo facile intelligas, me de quo bene sentires, cuiq; benignè facere inciperes, non indignissimum omnino fuisse. Interea annulum, quem luculentissimo sapphiro insignem mihi dono dedisti, quasi sponsorem tui in me study & voluntatis, ac mee erga te obseruantia monitorem perpetuum habebò. Oris verò tui effigiem patroni optimi, ac præstantissimi, & humanissimæ orationis sonum assidue in oculis & aurib. feram. Vale. Bononia, IX. Cal. Nouembris M. D. XLI.

L A Z A

LAZARVS BONAMICVS

Damiano Goæ S. P. D.

Non sine providentia factum esse arbitror, mi Damiane, ut cum tandem tua munera ad me perlata essent, membranas & globum, in quo est descriptio orbis terrarum, integrum acciperem, arcum verò disiectum & mutilatum. Quid enim minus erat dignum, quam ut ego, qui nemini vnquam fecissem iniuriam, auiculas ferirem, aut conficerem, in quibus esset summa innocentia? Omnia tamen pergrata fuerunt. Tibi quidem viro optimo, ac liberalissimo omniumq; mihi amicissimo per hanc epistolam gratias agerem, ni vererer, ne id tibi molestum accideret, qui soles propter magnitudinē animi parua ducere etiam ea, quæ magna esse videantur. Habebo certè quas debeo, & hanc non obscuram egregij tui erga me animi significationem non obliuiscar (miki crede) dum viuam: daboq; operam, ut te pari, aut maiori etiam, si possim, aliquando remunerer munere. Vale cum vxore, cum cognatis, cum amicis omnibus, & nos, quod facis, mutuò dilige.

q 5 Pat

Patavij, VII. Id. Quintil. M. D. XXXIX.

LAZARVS BONAMICVS

Damiano Goæ S. P. D.

LEgi perlibenter historiam à te nuper editam, non modo quia delectari soleo hoc genere literarum, & id vehementer existimare ad res & publicas, & priuatas, nec minùs ad philosophiam ipsam pertinere, sed quòd etiam & tui, & tuæ fortissimæ nationis fama capiebar. Accedebat clades illa nobilis eius hostis, quem ipse maxime omnium odi, vt Christianis, vt literis, & bonis artibus, vt ipsi virtuti inimicum. Quem etsi nostrorum vel discordia, vel stultitia, vel socordia, vel ceca quædam, atque insignis improbitas formidabilem fecit: spero tamen, aut confido potius, Deum Optimum Maximum non permissurum, vt id imperium diuturnum sit, quod malis artibus & partum, & auctum esse videatur. Quare historiae tuæ lectio iucundissima fuit. Utinam (mi Damiane) reliqua persequaris, quæ habes in commentarijs: erunt, mihi crede, omnibus gratissima.

Cane

Cane enim putes, quicquam nostra, superioraue tempora magis posse illustrare, quàm imprimendi rationem, & noui orbis inuentionem: quæ duo non modo cum antiquitate conferenda, sed & cum immortalitate ipsa comparanda iudicauit. Historia enim talis est, vt ipsa diligentissimè contexta, vnunquenque retinere in legendo possit. De Iouio nihil habeo, quod statuam: eius enim scripta nondum legi. Perge, mi Damiane, & pertexe quæ polliceris, ne cum aliorum præstantiorum hominum, tum tuorum virtutem in obscuro esse sinas. Vale, & me mutuo dilige. Patavij, IIII. Cal. Sept.

LAZARVS BONAMICVS

Damiano Goæ Lusitano S. P. D.

QUæ antea de matrimonio audieram, quæq; iucundissima fuerat, eadem multò iucundiora extiterunt lectis tuis literis, quas heri accepi. Non enim solùm certiora existimabam, quæ à te afferebantur, sed etiam humanitas tua, dum ad me scribis, sustulit penè subrusticam verecundiam

diam meam. Nam cum ad te vellem scribere gratulationem, quas meas partes esse putabam: impediabar tamen eo timore, ne viderer scribendo exigere, quod mihi non debebas, sed liberalitas, ut solet, tua obtulerat, de globo loquor, de arcu, de chartis: quæ omnia tantæ curæ esse tibi video, ut magis admirer tuam in omni genere officij, & laudis diligentiam, quàm hanc in his rebus sollicitudinem probem: omnia tamen ex magnitudine animi, ac probitate profecta esse intelligo, cum tam parua in re errorem pertimescas. Quod ingenium, quæ disciplina viuendi tua fecit, mi Damiane, ut me valde matrimonium tuum delectaret. Si enim in arboribus propagatio laudatur, quanto magis in viris bonis? Fortes enim gignuntur fortibus. Et alter senior Poëta εὐκλότα γένηται γονέων γίγνηται, verè cecinit. Quocirca tibi gratulor, & eò quidem magis, quòd uxorem, ut audio, duxisti nobilem, liberaliter educatam, formosam, dignam denique, quæ vni tibi in matrimonio collocaretur, præterea nemini. Utinam nascentur tui similes, qui tua curâ instituti, ætati
sue

sue ornamento tibi, tuisq; maxima sint voluptati: ad quam rem te pares nunc oportet. Hoc est connubij munus, hoc omnibus in ducenda uxore propositum esse debet. Sed quid hæc ego ad te? quem & optimum, & prudentissimum esse non ignoro. Quod factum esse à me non tui admouendi, sed testificandi summi mei potiùs amoris gratiam velim interpretaris. Patrem meum, ceterosq;, ut iubes, tuo nomine salutabo. Possum autem tibi confirmare, ab omnibus te amari, & suspici. Vale Patavij, xv. Cal. Mai.

A O N I V S P A L E A R I V S

Andræ Marino S. P. D.

ET si magnam, mi Andrea, gloriam consecutus videor, quòd vulgo hominum opinio me socium laudibus adscribat tuis: tamen ex eo vel maximam voluptatem capio, quòd talem mihi in te instituendo socium, comitemq; fortuna præbuit, ut te præstantissimum, singularemq; in omni genere laudis, iuuenem futurum non dubitem. Neminem video (video autem quotidie propè
infini

infinitos) qui Mediolanum veniunt, veteres amicos vel Lygures tuos, vel Hetruscos meos, qui cum de te audierunt quæ volumus, & optamus, non mihi continuo gratulentur, quod mihi Rorarium socium fortuna concesserit. Negant enim se dubitare, quin usus quotidianus multum possit in quovis homine: in adolescente vero plurimum consuetudo domestica. Quibus ego quanquam possum verissime respondere, imò vero respondeo, te quæ facias, bonitate ingenij facere, quæ vel in te cum etate accreuit simul, vel si tecum nata est, quotidie magis elucescit: tamen ne vel mea diligentia, qua patrem tuum cohortabar, ut talem virum conduceret, neve bonæ fortunæ tuæ, quæ talem obtulit, faciam iniuriam, non plane nego aliquid nostrâ operâ accessisse. Nam ego, & Rorarius quasi boni agricolæ præstitimus.

-ne mala culmos

Esset rubigo, segnisq; horreret in arvis
 Carduus, intereunt segetes, subit aspera sylva,
 Lappæq; Tribuliq;. Nosti cætera: quæ eò libentius commemoro, quod non sunt aliena à dignitate

gnitate tua: siquidem Achilli Græcorum fortissimo honestum fuit à Chirone educari, & Alexandro Macedoni omnium seculorum Principi perhonorificum summa observantia coluisse Philosophos: Quamobrem à te petimus, ut in hanc hereditatem gloriæ tuæ, nos aliqua ex parte venire patiari, qua communicata nobiscum, non modo non imminuetur, sed potius augetur: nihil enim probo adolescenti honestius, aut laudabilius, quam habere apud se matura etate viros, quasi testes continentia suæ. Quare valde probo, siue domi, siue foris es, quod tibi semper adesse Rorarium iubeas vel sodalem, vel consultorem, & suavissimum convivam. Quod vero ad me quotidie venites, & omnibus officijs prosequare humanitatis, tantum te amo, quantum tu magis intelligere potes, quam ego dicere: tuis enim factis ita incendor, ut nihil possit excogitari ardentius: nullus, mihi crede, relictus est amori mea locus augendi. Quæ cum ita sint, debemus omnino tibi, ut pro Rorario etiam loquar, gratulari, & gratias agere, & nobis gaudere, quod florentissimum habea

habeamus alumnium disciplinae nostrae: contigit enim tibi, quod multis seculis haud scio, an nemini, ut summum ingenium cum summa probitate coniunctum sit: in quem unum cum omnes suas copias fortuna transfuderit, intelligere debes, nos summa spe esse, quod non possis deserere eos, à quibus initium profectum est laudum, & virtutum tuarum. Vale.

A N D R E A S M A R I N V S

Aonio Paleario S. P. D.

Quantam voluptatem ex tuis literis cepi, cum Rorarius adhuc nobiscum esset, tantum post eius discessum, cum in easdem incidissem, & relegissem, doloris accepi. Est ita profecto, ut dicis, Aoni, neque consultor prudentior, neque comior sodalis, neque suavior conuiuia Rorario inueniri potest: nam est in prauidendo oculatissimus, in colloquendo iucundus, in conuictu quotidiano perurbanus: homo integer, & ambitionis plane hostis est, nunquam simulator, ac dissimulator: sed eodem semper animo ac fronte,
quod

quod de Socrate accepimus, qualis manè domo exibat, talis vesperi redibat domum. Refricant mihi desiderium tuae literae, & quanquam renouant dolorem: tamen non possum mihi temperare, quin eas saepe, & verò saepius legam. Grimaldus in Hispanias proficiscitur: puto posse fieri, ut hic sit cum fratre, ille ad nos redeat, praesertim si fratri commorandum sit apud Regem, qui compositis rebus quibusdam provincialibus ad Belgas dicitur rediturus, quod etiam nunc incertum est, neque quicquam affirmari potest prius, quam nouerimus ubi nuptiae futurae sint: quae si luctu Regio in alterum annum differentur, opinione celerius Rorarius ad nos redibit: quem diem ego si videro, caue putes, me quicquam fieri posse laetius. Hac ego oblector specula, & lenio desiderium meum: quod melius feram, si tu, qui nullum facis finem laudandi, & colendi Rorarij, tandiu apud me fueris, quandiu potes: potes autem eo tempore, quo interpretationibus publicis non sis impeditus: quod totum ut apud me ponas, te vehementer etiam, atque etiam rogo. Vale. Medio-
r
lani

lani, X. Cal. Decembris, anno Domini M. D.
LVIII.

FRANCISCVS LVISINVS

Aonio Paleario S. P. D.

Etsi necesse non fuit literas ad te dare, ut
me veterem nostram amicitiam colere in-
telligeres: tamen cum ex Hispania Brutus ad
te veniret, non putavi mihi esse committendum,
ut eum, qui tui valde studiosus est, meique amanti-
simus, sine meis literis dimitterem: quibus tibi
meam illam in te amando constantem voluntatem
non esse immutatam significare. Quis enim sit tam
ineptus, qui te perpetuo quodam studio non amet? qui
tua causa non velit omnia? Id me prestare neces-
situdini nostrae, Brutus tibi, qui meos omnes sensus
tenet, erit testis. Nam cum Germaniam, & Bel-
garum regionem peragrarem, cum essem in Bri-
tania: ne vivam, si mihi unquam animo excidit
iucundissimi sermonis tui recordatio, quo Octa-
viani populi conuiuium, cum apud eum ambo
Mediolani accubuissemus, condidisti. Legeram
ego

ego antea tuos libros, quibus quantum eruditione
valeres, quantum excelleres eloquentia, testatum
omnibus reliquisti: tum vero mihi primum con-
tigit, ut ingenij tui suavitate perfruerer. Quare ij
mihi semper faelices visi sunt, qui te uti familia-
riter, & multarum, maximarumque rerum praec-
cepta ex tuis haurire fontibus possent. Tantam
ego commoditatem Andrae Marino in primis
gratulor, cuius mihi adolescentis praestantiam
Brutus singularibus verbis commendavit. Is ut
vir doctissimus est, ita ingenium habet peracre in
iudicandis hominum virtutibus. Bruti ego testi-
monio facile, ut credam, adducor, Marinum sibi
in adolescentia clarissimarum virtutum praesidia,
atque ornamenta comparasse, eiusque laudem illu-
stri iam loco sitam esse. Utinam mihi iam lice-
ret, tot itinerum laboribus, & nauigandi iacta-
tione defesso, ad vos, Paleari, ad vos redire: quae ta-
men mihi facultas ita adhuc praecisa est, ut opta-
dum mihi potius videatur, ut ducere ad illud
tempus spiritum possim. Sed de rerum mearum
statu ex Bruto ipso audies, qui iam cum cothur-
nis ad

nis adest, & calcaribus, ut mutatis ad celeritatem equis primum in Galliam, deinde in Italiam percurrat. Vale. Toleti, Idibus Ianuarij M. D. LX.

AONIVS PALEARIVS

Francisco Luisino S. P. D.

R Eddita mihi fuerunt ab Andrea Marino literæ tuæ, quibus ego legendis tam sum delectatus, quàm si te audissem loquentem: habent enim atticum leporem, & singularem humanitatem, qua tu semper mirificè abundas. Quòd si Brutus idem tuus, & idē noster vsquam gentium apparuisset: lenissem ego aliqua ex parte desiderium meum. Nam cum is valde te amet, & vnicè abs te ametur ob vitæ, & ingenij similitudinem, te ipsum videre visus essem: multa præterea oratione sua subsecutus, quasi Menelaüs Homericus mihi narrasset omnem istam navigationem, qua è Belgis in Britanniam, & Hispaniã transmisti. De Gregorio verò meo, dii boni! quàm iucundè accepissem quod ab alijs nuntiatum, eū bellissimè habere, qui cum à nobis discessit,

Stomac

Stomacho erat delicatiore: nimirū iste aër aptus est ad concoquendum: nam Hispania calidior est, quàm Italia nostra, quòd ad Oceanum sit exposita, & spectet ad Occidentem solem. Quam ob rem sunt Hispani acriores in rebus gerendis, minusq; eorum animi emolliuntur in provincia omnium humanissima: non est credibile, quantum sit istic Heroicæ virtutis, cuius proprium est imperare: vnde aucta est ista provincia regnis. Subinvideo tibi, quòd apud eos es, quorum gratiã tua virtus fieri potest illustrior accessione fortune, & dignitatis: nos hìc mediocri stipendio addicti sumus publicis interpretationibus Græcis, & Latinis, nolo dicere, Ne quantum hìc operis fiat, pœnitet. Nam nobilitate discipulorū floremus, neque operam lusimus: Latine, & Græcè scribunt adolescentes. Ex qua re ut voluptatem capias: mitto ad te quædam πηγυριώματα, & ut simul doceas vicem nostram, quòd pro quotidiano labore, cum tam exigua merces in annum proposita sit, in ea exigenda tantus sit exudandus labor, ut me iam vitæ tædeat. Velim de Rorario quæras,

quot aduendi, & conueniendi quaestoris indignitates feramus, quam ad fores quotidie pendeamus ararij : quod quidem bonarum literarum studiosis acerbum est, mihi quidem non honestum. Quae ad te scribo libentiùs, ut te consolere, ferasq; omnia toleranter, & cum tuorum laborum in mentem venit, possis nostros recordari : nam licet non tu quidem molestia vacuus, es tamen pra nobis beatus. Sed maluissem ego de his cum Bruto : qui si ad me venerit, post unum, atque alterum osculum, ut sciam quid factum est opus, rogabitur à me diligenter de toto sensu animi tui. Vale.

IOANNES MICHAEL BRVTVS

Petro Angelo Bargæo S. P. D.

Faciliùs Bargæe, quauis in arte excellere homines, quam id probare multitudini possunt. De eo enim nemo quid sit, nisi rarò admodum, sed quid sibi videatur, constituit. Ita autem omnes vero inuestigando habent quod sequantur, ut saepe is ab eo absit quam longissimè, qui se proximè id consequi arbitratur. At illud est haud-
quaq

quaquam ferendum, qui rectè de rebus sentiant, prauitate quadam ingenij, ne cogantur suo testimonio laudare quem nolint, suam sententiam dissimulare, improbare quod optimum, rectissimumq; putent. Nam in eo quidem pessimè cum hominibus agitur, ubi qui iudicant, sibi standum esse multorum iudicio censent. Quid verò? Quid tu enim agis : aut qua in re laboras? An non id nunc mihi vsu venit? Laudem, inquiunt, scribenda historiae vnus nostra aetate praecepit. Mitto ego quorum id testimonio, mitto imperitorum : eorum quibus ut liceat nobis esse iniquis, vni sunt aequi. Do enim hoc, egregiè scripsisse. Quid igitur? ita is summum locum tenet, ut aditum cæteris pracludat, etiamsi spes perueniendi nulla sit, eòdem contendendi? At eousque iniqui sumus, ut saepe in cursu, qui vix mediū est spatium assequutus, ei, qui iam metā contingit, praferamus. Ridiculum autem esset, quòd princeps ille è carceribus exeat, hoc nomine ei esse anteponendum, qui iam cursum confecerit, censere. Quid enim æquius, quam, quod valere debet ad dedecus, sumi ad laudem? Sive
r 4 enim

enim noluit properare, cum posset, tarditati & ignavia: siue non potuit, cum vellet, imbecillitati est dandum. Qui me verò reprehendunt (non dico qua in re, quando tu id satis tueris præclare) idem laudant: quem tu putas? At si libet, id quod isti volunt, aut Thucydidem, aut Liuium aliquem fingas: tanta est enim hominis authoritas, ut non desint qui illum audeant cuius veterum anteferre. Est autem huius magnifica illa & præclara vox, dignum modò videri scriptoris nomine, qui possit etiam in solitudine scribere: quam quidem idem ferunt in cælum laudibus. Quid? etiam si, ut ille, sæde, barbarè, nullo delectu, nullo usu, exercitatione, nulla tractatione scriptorum veterum? Næ si is videtur dignus hac laude tanta, qui hoc possit: perquam multis illa patebit qui ita scribere, atque adeo præclariùs, etiam cum rheda vehuntur, aut equo, non desperent. Atque, si quantum quis scribat, non item quid scribat, spectari oportet: iam licet, nostro iudicio, Alcestides nescio quis Euripidi præferatur. Quo enim tēpore alter versum efficiebat, & quidem summo labore: centum,

centum, aliud etiam agens, fundebat alter. At huius & nomen, & scripta interierunt: alterius cum immortalitate atque æternitate nomen est & fama perpetuò duratura. Itaque qui nouit quantum munus scribendi sit: meditandum sibi modò in solitudine & commentandum, scribendum idem sine præsidio librorum nullibi censet. Secus autem si quis agat, tum audiat quod Liuius hic noster de homine erudito, cum quid de illius scriptis sentiret, Romæ rogatus dixisset, nihil videri expectatione magna dignum in verbis: in rebus fidem, vigilantiam certè maiorem, & studium desiderari. At non hoc mihi solùm obiectum est. Uerto enim quæ scribo ex Hetrusca lingua. Quid verò mirum? quasi non vna ratio sit conficiendæ historiæ, ut cum gesta res sint, de quibus est scribendum, ab ijs mutuemur, qui eas habent in commentarijs, nihil præter fidem nobis præstandam putemus. Genus scribendi, orationis elegantia, copia, varietas, tum regionum, urbium, locorum describendorum proprietas & vis: iam in consilijs explicandis, dicendis sententijs, in colloq

colloquijs Principum, conuentibus ciuitatum, in concionibus facultas dicendi facile, quæ velis, eruditio, acumen, ingenium, non vt quæ potuerint dici, sed quæ æquum fuerit, habita ratione eorum qui dicunt, explicentur, facit vt alter quidem expectatur, explodatur alter, cum eandem rem tamen vterque tractarit. Quot enim ante Liuium rerum Romanarum historiam scripserunt? Fabius, Cælius, Piso, Antipater, Sisenna, quorum cum vix nomina modo extant, Liuij ætate ita scripta extabant, vt iam legi desijissent, illius modo quanquam iisdem de rebus essent, in manibus haberentur. Nam quid mihi erat addendum de meo, qui fidei laudem scribendis rebus, & constantiæ quærerem, vbi Latine explicarem quæ Hetrusca lingua scriptores tradidissent? Equidem cum in alijs historiae partibus, tum in concionibus, in quibus maxime scribentis ingenium spectatur, & eloquentia, quam laborauerim ipse scio: quid perfecerim, cum eundem mihi finem, quem alij suadendo, dissuadendo, diluendo, probando, laudando, vituperando proposuerim, etsi
quid

quid iudicent docti homines, me non fugit: facile patior cuiusuis liberum iudicium esse. Sed quando iam, Bargæ, habes cuiusmodi eorum iudicium sit, qui ita statuunt: non nihil etiam arbitror interesse, abs te, qui ij sint, quorum hæc sententia est, cognosci. Intelliges enim esse certos homines, elegantes quidem, vt sibi videntur, certe, id quod possum asseuerare, locupletiores, quam disertos, aut eruditos: qui se dicant domi inclusam eloquentiam, tanquam incorruptam virginem, habere: *virgo* quam quidem (veriti, credo, ne, si à nobis minime Ciceronis sacris initiatis, qui est vnus istis Deus, conspiciatur, aspectu polluatur) se plane negent ostensuros. Itaque minime iam illi dissimulanter, aut recte Iulij Camilli manes execrantur, qui cum oculos cornicum configere statuisset, paucis illam antea cognitam, à quibus sancte per omnem vitam, & caste culta esset, veluti nisi is hæc nobis mysteria enuntiaisset, augustior, sanctiorque esset futura, in theatrum educere, ac proscribere venalem sit ausus. Quid tu autem de his statuas, qui eloquentem putant esse neminem, nisi in quorum
scri

scriptis altera quaque pagina, integræ Ciceronis
 , , periodi deprehendantur? Magna quædam res est,
 , , atque haud scio, an vna omnium maxima. Exi-
 , , lium quidem si ipsum per se loquatur. Euripidis
 , , est in *Andromacha*, opinor. Tum illa creberri-
 , , mē usurpata, sic, inquam, tibi persuadeas velim,
 , , facio autem id, mihi crede, sæpissimē: caue putes,
 , , cū abs te discessero, mihi te vno esse quenquam
 , , chariorem: amor meus, vel pietas potius erga te.
 Iam quid magis puerile? Si dialogus instituitur,
 quoniam *Crassus*, & *M. Antonius* colloquun-
 tur, eorum sermoni intersunt duo adolescentes, in
 quibus magnam spem suæ dignitatis maiores natu
 habent collocatam: est *Platanus*, quæ admonet,
 excitatur *Socrates* è *Phædro* *Platonis*: inducendi
 sunt, ne mali esse imitatores videamur, qui *Crassi*,
 qui *M. Antonij*, *Scevolæ*, *Cottæ*, *Sulpitij* perso-
 nam referant: tum horum interpellatores *Catulus*,
 & *Cæsar* pomeridiana hora sermoni instituto
 interuenientes: præterea describendi horti, amœ-
 nitates, *Xysti* exedra, porticus, gymnasia, palestra,
 petenda exempla ab eodem *Platonis* *Phædro*.

Quæ

Quæ omnia ita istis authoribus habent eloquen-
 tiæ commendationem, vt si quis sermonem ingres-
 sos eo in loco constituat, vbi speciosa illa nomina,
 exedra *Xysti*, porticus, ambulationes, non habeant
 locum: *Platonis* authoritas non ex *Phædro* (de-
 lectat enim nominis elegantia) sed ex *Gorgia*, aut
Timeo, aut *Ioue* petatur, dignum scriptorem non
 putent, qui in disertorū numero habeatur. *Quin-*
etiam si quis in verbum incurrat, quo non sit *Ci-*
cero vsus: tanquàm conuitiū fecerit, dedecusue
 admiserit, continuo illi actio iniuriarum intendi-
 tur. At horum (id quod necesse est) exilis, ener-
 uata oratio, sine sanguine & colore, qui si modò
 est vllus aliunde quæsitus, & fucò illitus eandem
 deformat: Latina quidē, si singula verba specten-
 tur, sin coniuncta eadem, barbarà planè & fœda,
 vt *Insubrem*, *Hetruscum*, *Ligurem* errare ac per-
 egrinari in aliena lingua animaduertas. Nam
 modus, numerus, concinnitas nulla, nisi si quando
 integra *Ciceronis* clausula, quo est quidem nihil
 putidius, pueriliter structa atque elaborata ora-
 tioni annectatur. Quæ cū ita sint, tanquàm
 caelo

cælo demissi homines, audent de loco superiore in imperitorum corona otiosorum hominum, liberè quavis de re sententiam ferre. Quos tamen te auctore homine doctissimo & gravissimo posthac facile contemnam. Ita autem tanquam septis quibusdam nos continent Ciceronis scriptis, ut quidam, cuius erat summa Romæ authoritas me etiam in scribenda historia à Cæsare imitando deterreret: cum ita diceret, satius videri quingentes Ciceronis verbum repetere, quàm variandi causâ semel à Cæsare, aut Livio sumptum efferre. Quæ (malum) hæc superstitio, an dementia est, cui nos patimur illigari? Nam ut aperte, id quod est, ingenueq; fatear, ita ad hanc consuetudinem passus sum, me adolescens deduci, ut repugnante ratione, planè iam corroborata ætate, confirmatoq; iudicio, eòdem inuitus trahar. Quid enim absurdius? quoniam præter pauca, quæ in Catone maiore habentur, Ciceronis nulla scripta extant de re rustica, non à Varrone, Columella, Plinio summam adhibito iudicio, & delectu? Quid de re militari? nisi eidem Imperatori in Cilicia appellato

de reb

de rebus ab se gestis ad Senatum fuisset, & ad Populum scribendum, qua de re vnam, aut alteram epistolam legimus, iam nobis non liceret, neque ijs ipsis adeò angustis finibus circumscriptam historiam attingere. Nam mutuari ab alijs, ubi à Cicerone discedas, capitale est. Iam quis præter Celsum ex veteribus de medendi arte Latine scripsit, cuius à nobis scripta legantur? At quoniam non venit in mentem Ciceroni, quæ eius argumenti essent, complecti, iam per istos licet, politissimi scriptoris, atque elegantissimi cum alijs monumentis illius ingenij præclaris, quæ iniuria temporum interierunt, hæc, quæ de re tanta nobis scripta reliquit, quando nullus eorum usus est ijs, qui se vni Ciceroni addixerunt, tandem tollantur: medicinam à barbaris scriptoribus, & imperitis conspurcatam, nemo, qui liberali sit atque eleganti ingenio, attingat. Sed de his iam nimis multa, cum Bargo præsertim. Equidem quemadmodum tu me prudenter mones & amanter, pergam quæ institui scribere, minimè veritus, quando meorum scriptorum te habeo propugnato-

torem,

torem, hominem doctissimum, atque amanti-
 mum mei, ne male videar studium in scribendo,
 & operam posuisse. Vale.

IOANNES BAPTISTA MINUTVLVS

Petro Angelo Bargæo S. D.

Iam pridem factum est, Bargæe vir doctissime
 atque humanissime, cum te fama tantum no-
 tum, colendum mihi, obseruandumq; proposui.
 Idq; cum agerem, videbam mihi esse commune
 cum multis, quibus non obscurum tuarum singu-
 larum virtutum lumen ac splendor esset: me verò
 nunquam tibi notum futurum putabam: bene-
 uolentia verò fore, vt me amplectereris, id certe
 nullo pacto sperare poteram. Nam & magnum
 me locorum interuallum, & vitæ institutum
 prorsus dissimile, cum in ijs artibus, quibus tu
 maximè excellis, nullus in me vsus esset & exer-
 citatio, abs te planè distrahebant. Sed quod nullo
 meo merito me assecuturum sperabam, id gaudeo
 humanitate atque officio Bruti nostri, hominis
 tui studiosissimi atque amantiissimi esse adeptum:

cui

cui cum multis nominibus me obstrictum sen-
 tiam, & agnoscam libenter, haud scio, an hoc sit
 vnum omnium maximum. Nam quid in hac vi-
 ta optabilius censere debemus, quam multorum,
 eorumq; optimorum virorum beneuolentia frui?
 quid porro, mi Bargæe, felicius, quam id nobis ab
 ijs vsuuenire, qui præterquam quòd optimis sunt
 exculti moribus, in ijs literarum studijs cum lau-
 de versantur, quibus immortalitas nominis com-
 paratur, quiq; & faciliè id possunt præstare, &
 verò etiam præstant? Etenim cum sint omnia in
 terris fluxa & caduca: nominis fama à doctis,
 eloquentibusq; viris memoria prodita aut sempi-
 terna manet, aut diuturnior illa quidem est, quam
 vt quicquam ex ijs, quæ hîc nobis euenire pos-
 sunt, cum ea debeat conferri. Quapropter duxi
 equidem fructum illum semper maximum, qui
 aut ex literarum studio, aut ex doctorum homi-
 num commendatione & testimonio percipi pos-
 set. Hæc fortasse leuiora videantur ijs, qui rerum
 humanarum amore capti, nihil ultra pedes pro-
 spiciunt: nihil præter opes ac diuitias colunt su-
 spiciuntq;

spiciuntq̄: mihi quidem nihil hoc vno optabilius in vita, aut pulchrius videtur. Te verò & nomen tuum immortalitati consecrasse, & eorum, quos tuo testimonio honestandos ornandosq̄ suscepisti, vt nunquam intermoriturum illud quidem sit, magna tua cum laude animaduertimus. Neque autem is sum, qui hoc mihi sumam, dignus vt tibi videar, quem tuis scriptis ornatum posteritati commendes: id quod tamen vel leuissimis saepe hominibus contigisse video, qui quanuis tenui amicitiae vinculo essent cum doctis hominibus coniuncti. Procul enim hoc abest à meo pudore, procul ab animo nequaquam inanis gloriae cupido. Sed cur ego quoque & beneuolentia tua fretus, & obseruantia summa in te mea non audeam sperare, vt tanquam in angulo quodam tuorum scriptorum inclusus, ad sexcentos annos, & quidem nonnulla etiam mei nominis commendatione, sim notus? Sed hæc nos iocari puta: illud serio, me ad te colendum in primis ijs rebus impulsus, quas narraui, quæq̄ à me sunt plurimi, tum ijs, quæ non sunt in postremis habende, quasq̄ ego ab omnibus

summis

summis laudibus efferi audio, morum tuorum suauitate, humanitate, doctissimorum hominum, ac nostræ ætatis principum tibi conciliata beneuolentia. Quæ omnia quantum in amicitia delectent: sciunt ij optime, qui multorum hominum consuetudinem quotidie expetunt, paucos in omni vita amicos experiuntur. Equidem licet mihi genere vite deligendo, minus fortuna consuluerit, at, mihi crede, animo ad excelsiora feror, ac mirifice doctorum hominum beneuolentia, sermonibus, scriptisq̄ delector. Sed hæc omnia non eò à me sunt dicta, vt ostenderem, quibus ego causis adductus, tuam esse mihi optandam beneuolentiam censuissem (est enim hoc omnibus perspectissimum) sed potius, vt mihi aliquo modo satisfacerem laudum tuarum commemoratione. Nam quod ad conciliandas amicitias attinet, illud semper vel maximum duxi, quod beneuolentia ipsa vinculum afferret. Quare cum ego te (vt ad prima redeam) iam pridem nunquam mihi de facie cognitum beneuolentia sim complexus singulari, nuncq̄ me abs te diligi sentiam, cur (si quid addi

s 2 modo

modo ad meam in te benevolentiam potest) non te etiam amem vehementius? Id autem esse ita tibi persuadeas velim, ut tua benevolentia me tanquam beneficio magno atque illustri auctum, nunquam eius fore immemorem putes. Tanti autem ea à me fit, ut Bruto nostro, cum referre non possim, maximam ob id ipsum sim gratiam semper habiturus. Ab eo Diodori Siculi Βιβλιοθήκη, ac Dionis Nicæi historiarum ἐπιτομήν, quæ tibi curari velle intellexeram, cum ijs literis accipies: ea quidem lege, ut si quid erit posthac, in quo ego tibi meam in te benevolentiam declarare possim, quando iam nullo interprete opus est, tuo iure imperes. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Tuos de Venatione libros, quos à doctis viris summopere audio laudari, miro desiderio expectamus. Erit igitur humanitatis tuæ, simulatq; editi in lucem erunt, curare ut ad nos mittantur: quibus si quid aliud præterea tuorum scriptorum adiunxeris, noli querere, quàm sis gratum facturus. Id vel per ipsum Brutum, vel per Iosippum Iouium, vel per Franciscum fratrem commodis-

simè

simè agere poteris: quod verò in primis abs te peto. Cura ut valeas, nosq; planè complectere benevolentia illa tua singulari.

Lugduni datum Cal. Septem.

PETRVS ANGELIVS BARGÆVS

Ioanni Baptistæ Minutulo S. D.

Superiore æstate, cum iam antea Brutus noster è Gallia in Italiam redisset, seq; Florentiam conferret, Pisas ad me venit: quo in loco multa mihi narrauit de humanitate, virtute, atque animi tui propensa in omnes bonos voluntate. Itaque mirabiliter amare te cæpi, ac sperare etiam futurum, ut tu quoque cum haud omnino malam de me opinionem imbibisses, mihi benevolentia tua particulam impertires aliquam. In quo tantum abest, ut sim falsus, ut in hac mutua benevolentia, amicitiaq; instituenda nostra me abs te victum esse non modò fatear, sed etiam profitear, ac præ me feram. Etenim epistola humanissimè ad me scripta, quæ non minus summi cuiusdam erga me amoris notis, quàm omnibus

s 3 verbo

verborum, ac sententiarum ornamentis insignis est, anteuertisti desiderium illud, quo quidem ego penè ardebam appellandi te literis meis: ut mihi reliquum sit nihil, quod ad me negligentia crimine liberandum, præter errati confessionem, in medium proferam. Quod cum verè ac libenter faciam, humanitatis est tua, id est, eius persona, quam tu in primis gerendam suscepisti, sic mihi meum hoc crimen condonare, ut de eo me potiùs ames, quòd voluntatis erga me tua testificanda occasionem inde prior nactus fueris, quàm odio dignum putes, quòd diutius expectauerim, quàm oportuit, dum ad te scriberem, meq̃, quod facere vehementer auebam, in amicitiam tuam insinua-rem. In quo tamen, verè ut dicam, à Bruto nostro deceptus sum: nam is de te cum multa magna tua cum laude prædicaret, hoc vnum prætermisit, quod eiusmodi tamen est, ut ab homine non omnino hebere ad intelligendum percipi facilimè potuerit, fore scilicet, ut si ego scribendi ad te occasionem differrem longiùs, eam tu proxius arriperes, meq̃ in officio ac munere maxime necessario

sario superares. Vicisti igitur: & eum quidem vicisti, quem à tanto victore victum fuisse pœnitetur nunquam. Etenim si antea & ingenij magnitudinem tui, & animi ornamenta cum excellenti quadam nobilitate coniuncta mecum ipse tacitus admirabar: quantopere nunc eadem sufficere debeo, quæ non iam ex aliorum verbis, sed ex tuo ipsius sermone mihi tanta esse visa sunt, ut omnem expectationem meam, quæ mehercule multò erat maior, quàm ut facile ab ullo sustineri posset, superauerint? Equidem existimaui semper, mi Minutule, doctrinam & eruditionem plurimi faciendas esse ab hominibus, summaq̃ admiratione prosequendas: ad eas autem si facilitas, si humanitas, si suauitas morum accederet, diuinum quiddam effici, quod optari potiùs, quàm sperari ab ullo soleat. Quæ tamen omnia sic aperte extant in literis tuis, ut ideo nunc demum vnà societatem fecisse videantur, ut te iuuenem videlicet nobilissimum, & cæteris fortunæ, atque animi bonis valde præstantem, quàm ornatissimum, quamq̃ maxime redderent apud homines admirabilem.

Siue enim arte & assiduitate, siue naturæ vi quadam in primis excellenti ea consecutus es : ita te ex eorum numero hominum eximunt, qui, quòd singula habeant, eum charitate quadam diliguntur, ut mihi solus esse dignus videaris, quem non modò omnibus, sed sibi etiam ipsis in amore omnes anteponant : quod ego mediufidius & iampridem facio, & posthac religiosissime, constantissimeq; facturum me polliceor. Atque utinam is essem, quem tu Bruti, ut video, sermone inductus esse prædicas, & quem esse oportuit, hominem in studijs literarum diutissime versatum : intelligeres profectò, me planè nihil antiquius habere, quàm ut omni genere scriptorum meorum tuam hanc erga doctos voluntatem & studium immortalitati commendarem. Sed & ille liberalior omnino est in laudibus meis commemorandis, quàm res & veritas patiatur : & ego tamen si nunquam commisi, mihi ut dies præterierit, in qua non aliquid aut studiosè legerim, aut accurate scripserim, tamen adhuc conficere nihil potui (cur enim quod verum est, occultem?)
quod

quod ab eruditis, cuiq; maxime similibus magnopere laudari mereatur. Sed ne fortasse tibi dissimulare potius, quàm fateri ac præ me ferre videar, hac in re quantum valeam, illud promitto ac spondeo, te ex ijs, quæ scribam, si modò aliqua scribam, quæ ego non omnino indigna esse iudicem, ut edantur, facillimè intellecturum mihi amoris erga te mei apud posteros testificandi facultatem magis, quàm voluntatem defuisse. De Diodoro, & Dione, quos tu mihi tam diligenter curauisti, gratias ago. Eos nondum accepi : sed tamen scripsit ad me frater tuus homo omnium officiosissimus Luca apud se esse : de pecunia verò, quam tu pro illis solueris, nullum verbum. Ego autem utranque maluissem : quare fac amabo te, ut sciam. Cras, aut summum perendie mittam qui illos ad me afferat, idemq; illuc perferat libros meos de Venatione, uti mox ad te Lugdunum mittantur. Eos ego tibi etiam atque etiam commendo : multum enim interest, quo ornatu induti, quaq; diligentia perpoliti primum in lucem prodeant. Quare gratissimum mihi feceris, si totum

s s tum

tum hoc negotium perinde susceperis, atque illud,
in quo rem & existimationem tuam agi putares.
Pluribus autem te rogarem, nisi & tu mihi præ-
claram humanitatis tuæ significationem iam an-
tea dedisses: & ego te omnia mea causâ factu-
rum esse planè considerem. Vale. Pisſis, v. I. Idus
Octobris M. D. LX.

AD IOAN. BAPTISTAM

Minutulum P. Angelius Bargæus.

Quòd libros mihi, quos habere auebam,
Huc, Minutule, miseris ab vsque
Urbe ista celeberrima, & beata,
Quam suis, ubi confluunt in unum
Ararq̃, & Rhodanus rapax, fluentis
Alluunt: ago gratias supremas.
Atque id polliceor professus unum,
Me daturum operam, ut tui labores,
Tua hæc munera, liberalitasq̃
Haud prorsus male iudicentur à te
Esse in me posita. Id quod assequemur,
Si non te pariter remunerando,

At

At certè tibi gratiam hanc habendo
Magnam, & perpetuam: neq̃ hercle quicquã est,
Quod à me magis expetas, vel optes.
Nam tu quòd bene promereris, & quòd
Benignè facis, illud & perennis,
Et iugis potiùs bonos in omnes
Tui signum animi est, & instituti,
Quàm obscuri indicium, maliq̃ quæstus.
Sed si mi tamen offeratur vnquam
Ulla occasio, si qua sit, facultas,
Ut possim tibi gratiam referre:
Ingratissimus arguar, nisi omni
Conatu efficiam, ut videre possis
Me me non magè predicare passim,
Quod olim tibi debeam libentem:
Quàm quod iam semel ipse predicarim,
Et præ me tulerim noua, ac perenni
Debere alterius benignitati,
Promptè soluere debitum fatentem.

IOAN

IOANNES BAPTISTA MINV-
tulus Ioanni Michaëli Bruto S. P. D.

DEderam equidem ad te literas Venetias,
& Paulo Manutio, cuius hominis te esse
studiofissimum cognoueram, fasciculum, ut man-
daras, inscripseram: sed incertus, utrum eò acces-
sisses, an tibi illa recte reddita essent. Quod qui-
dem si accidit: & de Facij historia, qua in re
tibi Gryphius strenuè operam dat, & de libris
ad te missis, tum verò nos valde esse letatos, cum
nos tabellarius quidam te bellissimè iter facere
narrasset, cognouisti. Id autem ita esse, quidam
è nostris, cum vobis vnius diei itinere propè Me-
diolanum occurrissent, affirmarunt. Spero equi-
dem non longè abesse tuas literas Mediolani da-
tas, quæ me de toto tuo itinere doceant: cupio
quidem certè. Capsa librorum, quòd miliones oneri
ferendo mulos esse negarent, nobis aperienda fuit,
vestimenta quæ detrahenda: quorum fasciculum
separatim faciendum, atque ad te propediem affe-
rendum curabo. De eo fratrem meum percontari
poteris: quem tamen puto, simulatque accipiet, te
certio

certiorem facturum, sic enim mandabo. Libros
verò qui vehunt, cum hac scribebam, quantum
ego ex dierum & itinerum ratione colligo, dimi-
diam partem itineris processisse putabam. Ex-
pensum rationum huic epistolæ adiunctum habe-
bis. Quod autem tibi tuli expensum, ut cognoscere
poteris, summam XLIX. numum aureorum fa-
cit. Id fratri, ut conuenit, curabis, simulque pro
vectura quod soluet. Gryphius quæ hætenus ex-
cusa erant folia attulit: ea sunt ad librum vsque
sextum. Quorum duos iam libros perlegi, quæque
visa sunt adnotavi, ex quibus indicem conficiam
paruo, ut mihi videtur, negotio, sed vereor ne mul-
ta desint, quæ tu postea requiras. De cæteris re-
bus quod ad te scriberem, nihil erat: abs te equi-
dem potius multis de rebus te dignas epistolas
expectabam. Habes à me, Brute, breuem episto-
lam, qui si scias quibus sim negotijs districtus, ne
literam quidem à me expectes. O te beatum. Tu
quidem otij fructum legis, voluptatem animi in-
credibilem, famam præterea, & nomen: ego ne-
gotij, animi mærorem summum, ægritudinem,
curas:

curas : quæ me perpetuò reuocantem animum ad ea studia, quæ à puero adamavi, dies noctesq; exedant. Vale.

PETRVS ANGELIVS BAR-
gæus Antonio Gryphio S. P. D.

ETsi magnopere cupiebam libros meos de Venatione iam-diu multis amicorum precibus efflagitatos, atque ita magnis laboribus absolutos, & perpolitos, vt à me, non nisi lentè, & fastidiosè probati fuerint, in vulgus edere : statueram tamen eos nemini, vt nunc loquimur, excudendos dare, apud quem egomet esse non possem, dum typis imprimerentur. Sciebam enim referre plurimum vtrum interesset quis rebus suis, an eius opera vicaria fides aliquorum supponeretur : neque ignorabam permultis vsuuenisse, vt in graueis reprehensiones hominum inciderent, quòd quæ doctè & accuratè scripserant, temerè deinde atque inconsultè alijs edenda commiserat. Id verò ego diligentissimè cauere incommodum cum cuperem, neque tamen voluntatè abicerem morem
geren

gerendi amicis meis, cum per occupationes, quibus distinebar, vtrunque facere hoc quidem tempore mihi non liceret : rem omnem in aliud tempus reieceram, totumq; me contuleram ad cetera, quæ iam-diu habeo in manibus, absoluenda : sunt autem & in Demetrii libellum de Elocutione Oratoria, & in difficillimas quasque, atque obscurissimas Ciceronis Orationes commentarij. Sed Ioannes Michaël Brutus homo, vt scis, pereruditus, cum fortè istinc ad nos reuersus vnà mecum loqueretur : ita mehercule ingenium, doctrinam, & probitatem tuam collaudauit, vt paternæ gloriæ iandudum in te reuiuiscenti mirabiliter fauere incœperim. Quod quidem cum ille me verè atque ex animo facere intelligeret : etiam atque etiam hortatus est, vt eum te esse vellem, cuius operâ & diligentia Cynegerica illa mea formis excusa aliquando tandem in manus hominum peruenirent. Ego verò non modò consilium doctissimi hominis, & vtriusque nostrum amantissimi non repudiaui, verum etiam libentissimè secutus sum, quando ille mihi te in ijs imprimendis
fidem

fidem tuam sic probaturum esse spondit, ut mihi quod & sententiam mutavissimam meam, & cohortationem suam non contempsissem, penitendum esset nunquam. Fretus igitur, mi Antoni, virtute, humanitate, ac diligentia tua libros hosce meos de Venatione ad te mitto, tibiq; eos mirandum in modum commendo. Velim enim non modo operam des, ut correcti sint & emendati maxime: sed ut exeant etiam perpoliti, atque ijs rebus ornati omnibus, quæ vel ipso aspectu & specie dignitatem quasi quãdam pariunt in oculis atque animis hominum. Id autem facillimè nobis successerit, si tu, quod ad literarum notas ac formas, quodq; ad chartæ genus pertinet, eos minimè contempsisse visus fueris. Oro itaque te atque obtestor, ut personam in hoc imprimendo atque in lucem edendo opere suscipias meam, vel potius ut tuearis tuam, id est, eius adolescens, qui, cum aliorum exemplo, tum domestica laude in primis excitatus, ita multas ingenij significationes, & diligentie iam dedit, ut hac quidem in re gravissimam aduersariam constitutam habeas hominum expecta

expectationem. Ne quidem, si, quemadmodum spero, illud egeris, ita deinctum habero, ut si quid unquam accidat, quod à me tua causâ fieri oporteat, id sim quam-primùm, quamq; libentissimè factururus. Vale.

Data Pisis, Prid. Non. Nouembris M. D. L X.

SYLVIVS ANTONIANVS

Petro Angelio Bargao S. D.

MI Petre, salve: tardiùs, quàm volebam, humanissimis literis tuis respondeo: nullum enim mihi tempus à molestissimis occupationibus vacuum est: quæ etsi tantæ esse non possunt, ut amoris mei erga te cursum impediunt, tamen hoc amicitie officium interrumpunt. Itaque peto à te pro tua singulari humanitate, ne, si forte rariùs meas literas accipies, id negligentia, aut oblivioni meæ tribuas. De Medicum stirpe, & familia valde te amo. Quod verò ad locos topicos attinet, tueris tu quidem modestiam tuam, dum illos extenuas: Sed mehercule (dicam, ut sentio) malè mereris de laboribus tuis, quos in tam
t angust

angustum locum concludis, ut ne domus quidem tuae limites egredi patiaris. Sed de hoc tu videris: mihi certè persuasissimum est, te non sine magna causa hoc munus Sylvio tuo denegasse. Pignæ nostro tuo nomine salutem dixi, teq; in eo amando nulli cedere affirmavi. Is hanc tuam voluntatem suaviatur, atque daturum se operam, ut tibi in amore cumulatisimè satisficiat. Chirico Strotio antiquæ doctrinæ, & probitatis viro multam salutem, item Antonio fratri. Interim valebis, salvebisq; à Francisco meo.

IOAN. MICHAEL BRUTVS

Nicolao Pallauicino Francisci filio S. D.

EX ijs omnibus causis, quæ liberum hominem ad amandum impellunt, nulla est, Nicolæ, quæ non me tibi plurimum deuinxerit. Nam cum ea in me beneficia contulisti, quorum ego obliuisci sine graui scelere haud possum, tum ut me in primis diligi abs te putarem, nullo unquam genere officiorum, quæ quidem ab humanitate summa, atque inductione animi proficiantur,

tur, declarare intermisisti. Ea autem est tua virtus, ut tanquam mihi hoc vno nomine modo sis amandus, quem amare multis debeo, me totum tibi planè addicat. Est autem hoc virtutis, ut quemadmodum cum exoritur Sol, lumina nulla alia conspiciuntur, quorum est admirabilis aspectus, & clarissimus: sic magnitudine illius splendoris, quæcunque sunt in vita ornamenta reliqua, siue illa præclara à fortuna, siue à natura sint, ubi semel illa eluxerit, obscurentur. Itaque etsi fortune debes multum, quæ tantum tibi tribuit, quantum moderato homini & ad agendam vitam, & ad dignitatem tuendam satis videri potest: à natura autem vnus habes, quæ illa rarò pluribus elargitur: at quòd te omnes ament, in oculis ferant, amplissimum esse, & honestissimum velint, virtuti vni, pudori, probitati referre acceptum debes. Atque in eo es tamen fortunatus, quòd non solum ijs, qui hæc in te bona agnoscunt, amabilis videris (perpauci enim hi essent) sed quos illa etiam tenent, quibus nunquam ego inficiabor non me plurimum capi, morum atque ingenij suavi-

tas, facilitas, comitas, his adiuncta grauitas summa, dignitas : quæ quidem etsi non sunt plane omnia virtutis : at esse sine virtute haud possunt. Dissimulantur enim naturæ vitia, & tolluntur, adhibita vigilantia & studio : naturæ bona vt conspiciantur, quæ vna illa modo ad decus potest, & ad honestatem conformare, moderatrix assequitur rerum omnium optimarum atque effetrix virtus. Itaque vt humanus sis, miti ac leni ingenio, tum naturâ ad grauitatem atque ad seueritatem propensus : in affinia vitia hoc incurrat, necesse est, nisi animum virtus, quasi intra cancellos quosdam, ratione cohibeat : id quod tu optime semper à prima tua pueritia præstitisti. Memini enim te admodum adolescentem, cum vnâ in Anglia essemus superioribus annis, tametsi quæ alij iam multo confirmati vsu, scire vix per ætatem possent, fretus ipse bonitate ingenij teneres optime : quò hac modestiæ laude commendabilior videreris, quotidie eorum, quæ egisses, ratiocinatorem acerrimum, de maioribus natu, in quibus (credo, quòd tibi in primis mea esset fides, & ben

& beneuolentia probata) me vnum maxime consulebas, quæ de his deduci, corrigi, addi, tolli placeret, percunctari. Est autem cum hoc semper in vita tutissimum omnibus, tum adolescenti in primis, cum via multiplices sint, vna ex his modo ad vitæ beatæ finem directa, quò est viris bonis contendendum : deligere ducem optimum, qui, & quò insistendum sit, & quâ declinandum, necubi offendatur possit comonstrare. Sed dum tibi probare contendo, quàm te merito tuo amem, id autem non in eo esse, quòd multis mihi, maximisq; in rebus tuam erga me beneuolentiam esse perspectam voluisti, sed in vna virtute probitateq; positum tua : multò, quàm volebam, scribendo progredior longius. Nam quòd me diligis opinione nonnulla, quam de mea virtute habes, (ne quando te illa ipsa fallat, video quàm mihi elaborandum sit) illud efficis, vt vicissim amando te, haud plane inhumanus videar, ferreusq; esse. Quòd mirificum tuum in me amorem merita tua, in me multa, & officia consequuntur, fit, nulla vt mihi laus debeat maior, quàm quæ grato homini
 § 3 spera

speranda est, & non immemori beneficiorum. Est enim huius rei una ratio, ut quemadmodum in referenda gratia perexigua est laus: ita in habenda, cum possis referre, & turpitudine quidem insignis sit, & scelus maximum. At virtutem tu quidem, qua ego una adductus, quam mihi sis amandus, intelligo, in te nullam moderatione animi quadam agnoscis: quæ quidem res etsi maximo tibi est ornamento, ne quando mihi tamen offensionis sit, tibi est magnopere providendum. Ita enim mihi amorem tribuis, ut non adimas idem iudicium: quanquam me nunquam sanè poenitebit, dum ego hoc ipsum urgeo, consequi te negando, modestiæ laudē consensu omnium singularerem. Illud quidem abs te peto, quando per me tibi licet, meo etiam periculo, moderato esse: facile patiaris, dum de te ea prædico, quæ debeo, fructum mihi mei officij constare. Ea enim si reycis, detrahis tu quidem de meo iudicio plurimum: quod quidem si mihi concedis, quid habes, quod de me exoptules prædicante vera, & te digna? Nam quòd crebro idem inculcas, & libentiùs te audi-

turum

turum adhortantem me, quam laudantem scribis, genus est adhortationis, quo ego utor, tibi uni maxime probandum. Antea acta enim vita laudes, constantiam exigunt in reliqua agenda. Itaque si mihi adhortandus esses, idem ego propè efficerem: æmulum enim constituerem tibi, ipsum te ornatum verissimis laudibus, ut cum qualis fuisses, meminisses, cuiusmodi esses in posterum futurus, tibi etiam cura esset. Est autem verisimile qui adolescens pudoris, integritatis, continentie, moderationis & temperantiæ laude plurimum inter æquales excelluerit: confirmata eundem iam ætate, non quidem meliorem (qui enim fieri id potest?) sed constantem sibi in cursu vitæ reliquofore. Neque enim verum est, eos qui diu vitam, atque eleganter traduxerunt, haud sibi facile posse imperare, in sordibus, nisi coacti, ut repente agant: animum, quem diu virtus pavit cogitationibus optimis, reiecto subito vetere instituto, ad improbitatem deficere. Nunquam hoc, mihi crede, verendum est: neque quibus licuit, semel quæ sit honesti species videre, veniet unquam in mentem,

ut in nequitia & libidinis castra transfugiant.
 A puero enim cum natura duce optima, men-
 tis aciem ad virtutem intendisses, pulchritudine
 illius, dignitateque perspecta, illam quidem tanquam
 virginis liberali forma captus, unam adamasti:
 ut iam minimè mirandum sit, te adolescentem
 nobilissimum, quanquam affluentem omnibus
 fortunæ bonis, cætera semper præ hac una asper-
 natum esse, ubi illa semel tibi ad oculos fulsisset.
 Quinetiam illud esset summè mirandū, cui tanto
 bono frui contigisset, eum quicquā præterea posse
 in vita admirari, ut alijs maximè etiam expe-
 tendum videretur. Facit autē idipsum ut credam,
 minimè iam de tua constantia dubitandum esse.
 Partum enim id habes, quod esse summū in vita
 bonum, non aliorum iudicio magis, quam tuo, in-
 telligis. Id verò cum non teneas modo, sed cuius-
 modi etiam illud sit, quod teneas, minimè ignores:
 quis iam vereatur, ne tibi id, quod tanti abs te
 fiat, summæ etiam curæ perpetuò sit? Hinc habes
 summam partam laudem, gloriam, famam, bono-
 rum existimationem: quæ omnia quidem esset
 stult

stultum colligere summis laboribus: collecta eadem
 negligere, ac pati elabi atque effluere è manibus.
 Nam eos, quorum & lautum est, & amplum pa-
 trimonium, non possumus non odisse, qui illud qui-
 dem nullo delectu largiēdo, effundendo, nō sibi, non
 suis parcendo, una modo nequitia administra an-
 gustius posteris & contractius relinquunt. Atque
 his tamen si quando ignorationis excusatione
 utuntur, ignoscimus fere semper animo equiore.
 Neque enim quod possident, videntur satis no-
 uisse, qui idipsum dissipare fæde, distrahereque pos-
 sunt. At tu quidem ita habes virtutis ornamenta
 omnia, ut cum eadem maxima esse, atque am-
 plissima non ignores (id quod magni interest) à te
 etiam quaesita habeas. Virtutem autem, unde hæc
 ipsa manant ornamenta, ita pectore intimo in-
 clusam constantia tueris, ut citius vita tibi (mul-
 tis enim casibus exposita est) quam illa eripi pos-
 sit: quanquam non ea sanè est virtutis imbecilli-
 tas, ut cuiusquam auxilio indigeat. Ubi enim illa
 semel tanquam in suo constitit, se ipsa facilimè
 tuetur. Itaque secundis rebus ne efferatur plus
 t 5 equo

aequo animus, temperantia moderatur, erigit in aduersis iacentem fortitudine & robore, ab errore & imperitia prudentia vindicat, iustitia libidinem, cupiditatem continentia, ratione ferociam coërcet: ut cum nusquam oculos de vita custodia deiciat, tutissimam eandem semper aduersus vim omnem, atque insidias praestet. Eo igitur bono qui fruaris, in quo vno ea omnia sunt sita, quae summa expeti in vita ab homine possunt: nisi sit mihi tua planè modestia perspecta, non me irrideri abs te putem, qui me tuis literis ad tui cohortationem impellas? At ita mihi Deum Immortalem propitium velim, ut tua probitas me, religio, pudor, moderatio, excellens in rebus omnibus virtus, siquando eius mihi in mentem venit (venit autem saepissime) hominem hac aetate, usu rerum, (adde literis, si placet, id quod mihi video abs te tribui) ita commouet animo, ut tanquam tum mihi primum perfectae virtutis imagine obiecta, notum esse incipiat, quid mihi illam quaerenti desit: mei me simul incipiat poenitere. Quae enim summa est adolescenti laus (hac autem vna quae esse alia

maior

maior homini, decursa etiam aetate, potest?) minime honestum mihi (utinam non etiam turpe!) in summae laudis cursu eo mihi abs te intervallo praecurri, ut cui ego esse exemplo ad capeendam virtutem debeam, ab eo mihi intelligam esse exemplum ad id ipsum sumendum. Sape autem memoria teneo, cum mihi adesses meo tristissimo tempore (nondum tu autem planè è pueris excesseras) ea à te afferri ad cohortandum me, reuocandumq; à mœrore, quae ob id mihi solatio essent, quòd non putarem ab ea aetate, nisi quaedam inesset diuina vis, atque humana amplior, tantam posse sapientiam proficisci. Fiebat igitur, nescio quo pacto, ut quae ego vix sine rubore à magno natu homine cohortandi mei causà commemorari sustinerem (parum enim mihi hoc esse honestum censebam) te de his ita audirem differentem, ut non modò mœrorem omnem leuaret tua oratio, sed animum etiam perfunderet voluptate quadam mirifica: interdum ut existimarem mecum praclare agi, quem ob id fortuna videretur perculisse, quòd ego à tanta virtute erectus illius

ictus

ictus posthac aspernari contemnereq; auderem. Hanc tantam animi tui præstantiam, cum primum ego Genuam venissem, populari modo fama acceperam: cui quidem, sæpius falsus, quàm vellem, multitudinis leuitate, non soleo ita facile assentiri. Itaque auebam accedere propius, haud omnino existimans, de nobilissimo præsertim adolescente, eam dissipari famam temere potuisse. Qua quidem in re, est quod plurimum debeam Ioanni Francisco Bassigo iuueni spectata virtutis, ac minimè digno ea fortuna, qua nunc iactatur: quo mihi interprete licuit, vt me minimè esse fama deceptum putarem, consuetudinem tecum & amicitiam iungere. Nam cum is ea de te prædicaret, quæ referente alio, videri prorsus incredibilia possent: de illo audita, in quo ne ipse falleretur, prudentia summa, ne me falleret, fides egregia, & beneuolentia præstaret in me singularis: eam cupiditatem mihi agnoscendi tui iniecerunt, vt non sim passus intercedere diem, quin me ille ad te deduceret. Id autem fuit Bassigo satis & ad liberandam suam fidem, & ad me confirmandum

in ea

in ea sententia, in quam me ille iam de tua virtute adduxerat. Cetera vnicus ille congressus ita comprobauit, vt statim mihi dubitatio omnis tolleretur quicquam esse fama affictum tuis verissimis laudibus. De quibus equidem amore & studio prouectus, pluribus egi fortasse, quàm modestia tua pudorq; postulat: sed ne eadem videar collegisse tibi assentandi causa, à quo ego semper morbo longè absui, ipse etiam gravitate tua summa præstas, cui honos haberi verborum nullus potest, quo non merita tua multò sint maiora existimanda. Illud certè volui efficere, vt tibi te, quod antea dixi, tuis pictum coloribus ostendendo, incensum eius emulatione glorie, quæ quidem tibi hac tua florenti etate contigit, ad eandem tuendam constantia, augendam si fieri posset, studio, consequenti etiam tempore, quando tibi mos gerendus fuit, adhortarer. Nam si quis est, qui arbitretur, magnopere te commemoratione tuarum laudum commoueri, is tandem intelliget, in agenda vita hanc te esse sequutum rationem, vt collectam famam temeritate multorum aspernareris: fructum

fructum virtutis esse, quem sapientes semper maximum duxissent, vnam virtutē statueres. Vale.

IOANNES MICHAEL BRVTVS

Francisco Luisino S. P. D.

Quanti apud me esses, cum istic agerem, non putabam me ignorare. Nunc quidem cum absum, planè mihi id videor scire: ipse autem? imò quis non æquè, atque ego? Tantum, Franciscè, peragravi terrarum: caue putes locum iam vllum esse, in quo ego modo vestigia impreserim, vbi non vestigia quoque amoris in te mei. Quod quidem si potes credere, voluntatem meam ama. Ut enim ego alia in re de te merear, neque fortuna tua patitur, neque ipse debeo optare. Sinde eo subuereris (est enim amor in te meus incredibilis) at de hoc tu facias coniecturam. Gentem ego antea istam pessimè oderam (quis autem non illam nostrorum hominum, quam vix possunt non externi odisse, qui semel cœlum Italiæ aspexerint?) nunc amo eandem tui causâ. Etenim Afros etiam finitimos, si te illi tenerent, amare tua causâ æquè

æquè possem. Tulit autem siue casus id, siue fortuna mea quedam, mihi vt fluxis meis rebus, amicos multos compararem. Nonnullorum egregia merita in me, & multa extiterunt: mirificus multorum amor, nemo mihi, nisi quem boni omnes odissent, inimicus: nunc quidem sic tibi persuadeas velim, neminem te mihi vno esse chariorem. Tanta verò in te est morum, atque ingenij suauitas, vt tametsi nullus tuus accedat in me amor, ferreus planè videri possim, ni te ego ob hanc vnam causam in oculis feram. At hæc vna modò causa me in tui benevolentiam impellit? Quid literæ, eruditio, ingenium, vsus rerum maximarum? His alijs fortassis videare suspiciendus: mihi æquè & suspiciendus es, & amandus. Manat enim hoc ab ingenio tuo, vt asperse in te literæ iucunditate quadam mirifica tantò te amabiliorum reddant, quantò sunt plures, qui his comparantur ad tristitiam & seueritatem: id quod vix vllò modo ferri potest. Natura enim nos ipsa ad humanitatem fingit, quam etiam deprauatam doctrina excolere, vsus, atque ætas, vbi accedat, perpol

perpolire etiam potest. Delectant verò literæ semper, quicumque is sit, in quo illa exquisita præsertim & recondita, conspiciantur: quin etiam amantur multi, & expetuntur, qui, nisi hæc vna causa amoris subesset, ob vitam, & mores insuaves, cuiusmodi literatos homines esse permultos videmus, digni odio hominum, atque irrisione haberentur. Quid? cum amor intercedit, consuetudo, usus, quanta hæc accessio videri debet? Equidem Franciscæ, dicam quod sentio, liberè, si id mihi modo facile erit: ni te ego amem cum humanitate tanta, & virtute adductus tua, tum verò benevolentia quadam in me & studio singulari: plurimum eundem suspiciam & colam, adductus ingenio, eloquentia, eruditione, qua inter paucos excellis, tum verò fatear non te magis, quam me mihi satis cognitum non esse. Verum, si queris, amo te mea causâ non minus. Quod enim, cum istic essem, te vnum habebam, in cuius suavitate sermonis, cum me conficiebat dolor, ac grauiore curam olesticæq; angebant, conquiescerem, ac luctum omnem mæroremq; deponerem:

tum

tum ita te amabam, ut causa amandi tui esse in me vno posita videretur. Quinetiam nunc idem absens tui memoriam colo, propterea quòd est mihi illa iucunda, quam quidem spero fore etiam diuturnam, quòd eandem non dubito mihi indies iucundio rem futuram: quod ipsum tamen eodem recidit. Nam quia tantum voluptatis haurio ex tuo amore, hanc tibi debeo gratiam referre (maio rem autem non possum) nihil mihi ut vno te esse charius, iucundius, gratius statuam. Singularis autem tua virtus, elegantia morum, comitas, facilitas, accessione præsertim summi amoris, tanti à me fit, quanti esse apud me is fructus debet, quem ex his capio: est autem is maximus, atque vberri mus: sed illustria alia sunt tua in me merita, quæ consequi quidem voluntate ac studio possum, referenda gratia, cum immortalem debeam, non possum. Literis enim tuis ad me, tanquam parum esses de me præclarè meritis, si quàm me amares, y modo, qui nunc sunt, prædicatione tua intelligerent, posteris etiam testatum relinquere voluisti. Quibus quidem literis & elegantissimè

v scriptis,

scriptis, & amanter, quàm mihi tribuas video: quid sentias, dubitabunt alij, nisi hoc esse amoris indicium, id quod ego existimo, arbitrentur. Equidem hoc lucri in hac re faciam, ut testimonio tanto tuo honestatus, dandam operam mihi in posterum putem, ne quando, quòd ita de me iudicaris, planè esse deceptus videaris. Sed de his aliàs pluribus. Mediolani Aonium Palearium conveni, à quo homine doctissimo atque amantissimo tui earum literarum exemplar accepi, quas ad te ille in Hispaniam. Puto autem, respondent ijs, quibus tu ad illum multa de Andrea Marino. De cuius ego humanitate adolescentis, virtute, eruditione, propensione animi in doctos homines plura dicerem, si sperarem me consequi posse scribendo. Nunc autem sic habeto, unum esse hunc adolescentem, in quo hac omnia summa sint: summa autem hæc propterea esse existimanda, quòd explicari, quanta sint, minimè possit. Obtuli ei libellum variarum lectionum in Cæsaris Commentarios illius nomini inscriptum, quem quidem & hilarè accepit, & sibi esse gratissimum munere
perli

per liberali testatus est. Petrus Angelius Bargaus doctissimus vir, & mihi amicissimus, multam tibi salutem meis verbis. Huius sex de Venatione libri longè luculentissimi propediem Lugduni edentur magna doctorum hominum expectatione. Vale, mi Luifine, & si me amas, quamprimum ad nos cum Epithalamio, quod iam avidissimè omnes expectant, Orationem de Regijs nuptijs, quam quidem cum alijs (qua de re iam Lugduni egi cum Gryphio adolescente eodem & erudito, & humanitatis singularis) curem imprimendam. Vale iterum.

IOANNES MICHAEL BRUTVS

Ioanni Baptistæ Minutulo S. P. D.

NUnquam potui Minutule dubitare, quin tibi omnia mea curæ essent: sunt enim eadem tua. Etsi autem in ijs sæpe etiam fallimur, quæ sunt amicorum: at te prudentia summa ab errore, amor & studium à tarditate & cunctatione vindicat. Tantùm porrò abest, ut de his sollicitus sim, quæ commendata tuæ fidei habes, ut
v 2 labo

laborem quidem ratione excogitanda, qua pro his tibi gratiam referam, parem ut referam, nunquam futurum putem. Hanc tu scilicet laudem quæris, quæ quidem paucorum est, spem omnem ut tollas grati animi declarandi ei, in quo beneficium collocaris. Itaque si hoc modo fieri potest, locum expostulandi in beneficio relinquis. Habet enim non solum qui beneficium facit, sed qui accipit etiam, suam laudem, quam ei præripere videtur, qui non concedit. Nam ut est magni animi, bene velle de nemine cum spe gratiæ mereri, ita videri velle in eum gratum, qui hoc animo sit, moderati & prudentis. Is autem est maximè dignus, cui gratia habeatur, qui cum magnam sit promeritus, sibi tamen nolit ab eo, qui debeat, haberi. At tu quidem, ut minùs videar in te animo grato esse, fortasse efficies (video enim tibi gerendum esse morem) ego ut sim, facile præstabo. Quia in re si minùs fructu mei officij aliorum iudicio fruar, at equidem fruar meo: qui idem esse vberior, quò est certior, & fallere minùs potest, videtur. Sed heus tu (iam enim est ad alteram epistola

stolæ tuæ partem veniendum) ita de fortuna tua quereris, ut subinvidere videaris meæ: adeò multus es in eo otio laudando & vitæ ratione, quam sequor. Quæ mea tamen fortuna huiusmodi est, ut una in re modo mecum illam putem egisse præclare, quod me nulla in re sibi voluerit debere. Accidit autem hoc sæpissimè, ut magis illa adversa faueat, quàm secunda. Quicquid verò ego sum (tu quidem ut videris, amore prouectus, me cumulas maximis laudibus, atque id siue ingenio, siue studio tribuis) cuius id potiùs, quàm fortunæ refero acceptum. Pupugit me illud verò vehementer: nam ita ais te huius tuæ fortunæ pœnitere, ut neque diuturnitate temporis à te impetrare doloris leuationem aliquam possis: reuocando animum ad ea studia, quæ à puero adamasti, qua in re positum tibi paratissimum perfugium speraris, refrices tu quidem dolorem, vel augeas potiùs: à qua re cum nunquam tamen, obrutus etiam maximis negotijs, abducere animum queas, neque momentum horæ vacuum traducere tibi à dolore summo licere. Sordidus enim quæstus, inquis, mi-

v 3 nimeq₃

nimeq̄ tota res digna libero homine. Itaque illud habes semper in ore, ὁ δὲ τόκος γινέται νόμισμα νόμισματός, ὥστε & μάλιστα παρὰ φύσιν. O hominem mirum Aristotelem! Quid enim non pariat numus, qui saepe etiam abortum faciat? quot verò modis hoc tempore, angusta non privatorum modo, sed Regum fide? Sed hoc iocò, illud seriò. Equidem & ipse malim agrum colere, si data optio sit: quid enim hoc vitæ genere beatius? sed hoc quidem est cum robusti & valentis, tum qui paterna rura bobus exerceat suis. At quid faciat Ligur, qui agri glebam non habet, quam colat? an quod ea quondam loca incolentes homines asperi, duri, & assueti malo speculas & montes insidendo, latrocinij vitam in latibulis, ferarum more, tueatur? Dij meliora! inquis. Quid igitur? utrum quod postea huius maiores, iam mitescens ingenijs, humanissimi homines & magnæ industriæ, rem maritimam colat, quaestum faciat nauigando, commercij causâ ad exteras nationes adeat, quibus illi in rebus minus liberalis aut fortuna, aut natura fuit, cura, sedulitate

tate, solertia, studio occurrat? optimè hoc quidem. Quid cum aut militi conducendo, aut muniendis urbibus, aut classi reficiendæ trans mare curare pecuniam Rempub. oportet? Quid si longè præstat, ab eo, qui in Syria, aut in Aegypto negotiatur, eam solui, quam magno vecturæ periculo, per tantum maris, terrarumq̄ spatium transmitti? Quid igitur? Cum vicissitudine officiorum vita hominum constet, utrum debet cuiquam turpis quaestus videri, cum qui Reipub. seruiat, ei id fraudi non sit? suppeditetur, quo se suosq̄ honestè alat? multis adiumento sit & præsidio ad viuendum? Nam illud æquissimum videtur, quam à me pecuniam implicatam habeas, qua tuo difficili tempore vtare, quæ tibi subsidio sit, quando collocare interea aut fundo emendo, aut alia re, quæ sit compendio & utilitati non licuit: ea ut tantundem mihi lucri apportet, quantum videatur fuisse accessurum, si ea ager emptus, aut cædua sylua, aut pratum, aut vinea esset. Neque verò video, qui venerit in mentem summo Oratori, sordidam mercaturam vocare, cum

rem lenire verbo leuiore vellet, minùs esse vituperandam, vbi copiosa & de magnis rebus esset, affirmare. Etenim si quis rem velit considerare diligentius, ijs exceptis, quibus administrationes ciuitatum, & magna imperia mandantur (ijs si liber adiungantur etiam, qui aut literarum studio, aut rei militaris gloria excellunt) neminem reperiat, qui maiores vitæ utilitates & commoda, quàm eos qui negotiationi & mercaturæ student, apportet. Commercium enim vna maximè necessaria res societati hominum conseruanda, horum in primis stat authoritate & fide. Ita qui vltimas terras ad Orientem solem, atque Occidentem incolunt, inter se ea communicando, quorum aut propter vbertatem feracitatemq; soli, aut propter innatam quandam industriam & vim, copiam facultatemq; habent: perficiunt, nihil vt sit, quo homines viuendo egeant, quin illis continuo, vbi vsus postulat, præstò sit. Huius autem rei laus omnis: quæ quanta sit, res ipsa docet, vnus maximè mercatoribus debetur. Per eos enim, tanquam gentium omnium & nationum inter-

pretès,

pretès, iam quæ Indis vilia sunt, Britanni non solum non desiderant, toto à nobis diuisi orbe, sed habent etiam copiosè: ab ijs ad vltimas Orientis oras pretiosissima merces, quæ illis vsui sint, exportantur. Eadem ratio omnium gentium, est. Sed non in eo solum mercatoris industria prodest communi vitæ: alia sunt etiam maiora, quæ illi videntur vni esse tribuenda. Mores enim, rationes atque instituta vitæ, quæq; ad officium, ad fidem, ad religionem, ad hospitalitatem, ad omnem humanitatem pertinent, non ab ijs magis, qui leges scripserunt, quanquam hi omnem ferè sibi hanc laudem vindicant, quàm ab huius ordinis hominibus honestissimis & prudentissimis populi acceperunt. Cum enim terras & maria lustrando, atque alia probando, reijciendo alia, ex eo rerum delectu, quasi imaginem quãdam vitæ mansuetioris suis ostendissent, tum illos verisimile est, pulchritudine illius & forma captos, sensim è feris, veluti cicures fieri, leges accipere, magistratibus parere, ac diuina colere, & humana iura assueuisse. Naturâ enim esse comparatum videtur,

ut usu & tractatione rerum magis, id quod totum ab ijs est, quam ullis præceptionibus sapientium, imperiti homines ad virtutem, atque ad honestatem informantur. Itaque vrbes omnes, quæ sunt in locis maritimis positæ, ob commercij opportunitatem longè præstant mediterraneis, communibus vitæ officijs atque humanitatis persolvendis. Nam Atheniensium ciuitas, prima omnium dicitur fuisse, in qua homines feritatem immanitatemq; exuerint, maritima quidem vrbs, & quæ exilem ac sterilem agrum coleret. Itaque cum domi leges optimas condendo, tum multò magis cum vicinis populis communicando, quam ab illis solertiam exiguitas agrorum ac soli sterilitas exigebat, eò magnitudinis peruenerunt, ut coacti sint multitudinis leuandæ causâ colonias ad vicinas ciuitates mittere, quibus cum maxime Lonia creuisset, aduersus suos conditores pro hostium victoria bellum gessit. Ex hac vna ciuitate omnes liberales artes, leges, iura gentium manasse ad exterarum nationes dicuntur, sed ita quidem, ut per vestri ordinis homines frui illis tanto bono licuerit.

rit. Cum enim mari exposita commercio gentium omnium pateret, fiebat, ut commutatione quadam studiorum, commiscendo cum externis animos ita ab ijs, quæ suis ad viuendum essent necessaria acciperent, ut rationem illis colendæ humanitatis, cuius expertes essent, tum cetera vitæ instituta præclara, quibus ad honestatem, ad decus, atque ad omnem politiores elegantiam instituerentur, captis hac quasi illecebra virtutis, & delinitis præberent. Ita magna ex ea re gloriâ parta, & aucta vrbs, & imperio est gentium multarum, & populorum potita. Atque ne ea colligam, quæ sua iam vetustate obsoleuerunt, usus etiam nunc docet quàm omnis hæc ratio præclara & honesta sit. Nam cum in ijs ciuitatibus, quæ vnius imperio parent, ferè hæc ratio quæstus vilis habeatur (Principum enim institutum facile populi æmulantur) non ita autem sint multæ, quæ vsc suis legibus & institutis mercaturam colant, quid inter illas intersit res ipsa loquitur, etiam tacente me. In illis quidem ambitiosi homines, & qui inflati vana opinione honoris, inanem nescio quam

quam nobilitatem lautissima patrimonia effundendo alea, luxu, intempestiuis cōiuijs, cūm præterea nunquam desint, qui perdant, homines flagitiosi & impuri, quos canes circum se habent ad venandam pudicitiam matronarum, atque ingenuorum, obruti semper alieno ære tæantur. In his diuersa omnia, honestæ familiæ, & locupletes, nauis, industrij, experientes homines, & qui re familiari procuranda tenues atque egentes alant, liberales omnes artes, honesta studia foveant, nihil fucatum, & quod appareat modo, & non sit, nihil inane, atque ex hominum imperitorum errore haustum, magnifica omnia, & luculenta, ampla domus, & regia, sine vlla tamen inuidia. Venetias nunc mitto, vel quòd mihi ea patria est, vel quòd, cūm multa de illa dicantur, satis tamen multa de illa dici pro illius magnitudine non possunt: Genue sum aliquandiu commoratus, quæ vrbs cūm rerum omnium affluentia & copia, tum ædificiorum magnificentia, situs opportunitate, frequentia hominum & celebritate, in primis Italiae omnis nobilissima habetur: nullum est ge-

nus

nus officij, humanitatis, liberalitatis, quod in vlllo vnquam, cūm multorum mihi familiaritate vti contigerit, sit vlllo meo tempore à me desideratum. Atque cūm hoc instituto domi vtuntur, vt præter cætera humanitatis officia, hospitij, iura sanctè & religiosè colant, tum multò illi in hac re foris magnificentius se gerunt. Nam cūm aliquot ab hinc annis Antuerpia agerem, qua in vrbe ex ea ciuitate homines honestissimi permulti, & splendidissimi negotiantur: illud quidem animaduvertebam, cūm eorum nulla ferè domus esset, quæ non hospitio clarorum hominum pateret, studio illos inter se, atque æmulatione, ne quis sibi eam laudem præriperet, certare, excipere domum, omni genere honoris, magnificentia, comitatis à se excultos dimittere. Atque obseruabam ego ex his maxime Syluestrum Catanæum, Lazarum Grimaldum Pauli filium, Ceuam, Augustinum, & Stephanum fratres gentiles nobiles homines, & quod detrahere non nihil de mea fide videtur, multis in rebus de me præclare meritos, quos quidem verissimè affirmare possum ita magna atque
ampla

ampla negotia gerendo, maximis vitæ laboribus
 perfungi, ut vnum modo querere fructū videan-
 tur laudis, gloriæ, immortalitatis. Quæ omnia etsi,
 ut homines assequi possint, facultatem fortuna
 præbet: at, ut assequantur, vera virtus, & ma-
 gnitudo animi efficit, in qua est summa posita, at-
 que eximia laus. Atque, ut iam veniam, Minu-
 tule, ad tuos, an non in eadem vrbe est vestra do-
 mus hospitij summorum hominum florentissi-
 ma? Quid Lugduni! missam facio vestram, ne
 nunc vobis videar assentari: quàm liberaliter sim
 à vobis exceptus, quæ in me humanitatis officia,
 quæ summæ necessitudinis & beneuolentiæ contu-
 leritis, non est nunc commemorandi locus. Mi-
 chaelium est hæc domestica, & Arnulphinorum
 laus, ut humanissimi in hospites sint, & liberalis-
 simi. Quid Matthæus Balbanus? quî illi magnus
 Princeps (si magnitudo animi, vitæ splendor, ma-
 gnificentiæ non ex fortunæ magis temeritate, quàm
 ex vera virtute, estimari debet) in hac fortuna,
 quam adeò non probas, potest præferri? Alit domi
 doctos homines non solum, sed colit etiam studio
 atque

atque obseruantia summa: virtutem autem af-
 flictam & abiectam ita erectam quasi in sinu suo
 fouet, ut iam minimè illam pœniteat opulentissi-
 mam totius Europæ regiam cum priuati homi-
 nis domo commutasse. Atque ille quidem eius
 gloriæ consortes fratres viros clarissimos, Luca
 Ioannem, & Philippum, Thomam Antuerpiæ
 habet: æmulos præterea multos ex eadem ciui-
 tate summo loco natos homines, & inter suos in
 primis copiosos, per quos minimè ei liceat vni hoc
 fructu laudis tanto frui. Audio enim & Vin-
 centij Bonuisij domum Lugduni, hominis am-
 plissimi & dignitatis summæ, ut fratris olim
 Antony, Louani, cuius ob id celebre in ijs locis
 atque illustre nomen est, & aliorum etiam esse,
 in quibus vigeat hoc institutum præstantes vir-
 tute ac nobilitate homines liberalitate, hospitio,
 honore prosequendi. Hos quidem mercatores ex-
 tulit semper vestra ciuitas, in quorum ego numero
 si sim, nunquam sanè mihi veniat in mentem,
 Regum maximorum gloria inuidere. Fortuna
 enim ipsa fingit, qui Regna atque Imperia admi-
 nistr

nistrent: qui digni Imperio & Regno sint, vna modò inter homines fingit, conformatq; virtus. Atque illud quidem longè pulcherrimum est: vestri ordinis homines cum nobilitate, atque opibus excellant: æquabilitatem cum cæteris tueri, nihil sibi sumere, quod inuidiæ expositum sit, à nemine pati comitatem in sermone, affabilitatem, facilitatemq; desiderari. Hæc qui possint præstare, cum velint, non ita multi sunt: qui velint, cum possint, multò pauciores: cum tamen de eo minimè dubitandum sit, quanquam mirifica voluntas adsit, & quæ animum maximè flectat ad bonum, nisi sit adiumento & subsidio fortuna, nequicquam huius tantæ rei laudem ab ullo peti. Ac volens quidem præterij exterarum gentium clarissima exempla, vnius vestræ ciuitatis, atque alterius contentus. Quot enim sunt extra Italiam mercatura florentes, quæ ditissimæ ac copiosissimæ habentur? Nitto Lugdunum, Antuerpiam, alias Gallorum, ac Belgarum vrbes, Londinum Anglorum, quæ quidem per commercij occasionem diuitijs & copijs auctæ, cultum etiam hunc
humani

humanitatis amplexæ, ac mitioris vitæ studia adamarunt. Hæc ipsa Germania, quam feri olim, & barbari homines incoluerunt, & qui susceptos statim in lucem liberos, in fluminibus tempore anni durissimo lauabant, ab humanissimis nunc gentibus incolitur, Emporia habet totius Europæ celeberrima, nobilissima Gymnasia ad iuuentutem instituendam, colit omnes libero homine dignas artes, vtitur quidem importatis multis, sed multa ipsa etiam ad alias gentes transmittit, valet plurimum industria, floret ingenijs: quæ omnia cum in alijs ciuitatibus, tum in ijs maximè conspiciuntur, in quibus mercatura studium viget, Augustæ Vindelicorum, NoreMBERGÆ, Francfordiæ, cæteris, quæ liberæ vocantur, quarumq; est summum penes mercatores imperium. Iam vides, mi Ioannes Baptista, qui sit hic numi partus, quem tanquam nobis in Catonis Regno sit viuendum, seueri quidam ac nimis duri homines calumniantur. Hinc enim est nomen, gloria, fama, maxima vitæ opportunitates: quæ omnia si qui sunt, qui non pariant, aut monstra atque ostenta
x pariant,

pariant, necesse est, cupiditatem, auaritiam, sordes, quod faciunt multi, aut quasi sibi ab actō partu, domi obscuri, quæ cæteri tantopere auent, posteritatem, famam, immortalitatemq; damnent, quam consequi nullo negotio possent. At inuides nostri ordinis hominibus: (vis enim tu esse me, id quod minimè mihi tribuo, in eorum numero, quos tu colis, doctorum hominum ac spectata virtutis) re-
 etè tu quidem, si aut animi causâ modo, aut cum alium tibi propositum finem habeas, non hæc temporum ratio frustretur tuam spem. Video enim eruditos esse multos: quorum autem partes sint, eorum tenuitatem fouere, maximos potentissimosq; Reges, ex ijs qui hoc agant, esse planè hac ætate neminem. Quotus autem quisque est, ut maximè eruditione, atque ingenio valeat, cui non minus, ludius, saltator, scurra, & leno improbissimus, si quando est viri Principis liberalitas periclitanda, præferatur? Quid illa manus hominum nefariorum? sunt enim quasi ex alia classe, sicarij, venefici, subiectores testamentorum, maledici, assentatores, qui, ne religioni, officio, pudori
 aditus

aditus pateat, dies noctesq; obsessam regiam habent. At hi quidem dominantur, diuitijs, copijs, honoribus, sacerdotijs augentur: vni si quid extorquendum est, ad importunum, atque immanè dominum à viris honestissimis, nolentibus etiam & inuitis, allegantur. Nam illud iam proverbio increbruit, aleatori aditum etiam ad summos Reges, quanquam sit loco infimo natus, inter amicos interiores patere. Qua re quid excogitari foedijs potest? At quanta illa indignitas est, cum homo seuerus & grauis à scurra dicaci atque impudete iactatur, quò materia suppeditetur beato homini ad ridendum, iam ventre infarciendo, epulis ac mensæ delicijs fesso? Nam conuictus cum ijs nulla non est capitalior peste: ut si instituas locum tueri, odium tibi continuo & inuidiam, contem-
 ptionem, vbi te semel ijs dederis, non ferendam pares: neutrum autem licet. Hæc ferat, & si qua his sunt indigniora oportet, eruditus homo, & qui in luce atque in oculis omnium, Regum, ac summorum hominum gratiam consecrari, quam in vita agere priuata, malit. Atque idem tamen
 x 2 præter

præter paucos admodum haud ferme vitur æquioribus privatis : ita infesti ferè homines suo ingenio sunt ijs, quos intelligunt se esse meliores. Itaque aut deploranda ineptiæ multorum, & dissimulandum quod sentias, aut si liber esse atque ingenuus velis, petenda solitudo & recessus, ne in multorum odium & offensionem incurras. Atque ego nunc loquor, tanquam mihi cum eo res sit, qui nullius ope indigeat, quò honestè vitam possit, & liberaliter traducere. Quid porrò agat is qui vitæ præsidium à literis, non voluptatem solùm, & oblectationem petat? Quæ alia ars (de honestate nunc non loquor, nulla enim est hac una contemptior, si opinionem hominum magis, quàm rem ipsam spectari oportet) non vberiori quaestui est? In nobilissimis Gymnasijs honesti homines, ut habeant quæ vix sufficiant victui tuendo, totos dies clamando de loco superiore, existimationem nominis & famæ expositam imperitorum adolescentium conuitijs habent. Ac si cui magis, id quod nunc ipse ago, solitudo probatur, atque otij sibi constare fructum velit: quis adeò præclare
liter

literarum vllum munus potest obire, cui si quando sit teruncio opus, non illi aut pudor omnis exhauriendus, aut fame pereundum sit? Dura est conditio proposita pudenti homini, sed in eo est aliquantò eadem acerbior, non extare ei, cui pudorem necessitas & verecundiam ademerit, tantæ iacturæ solatium vllum falso sua spe, ac coacto fortuna iniuria tanta repulsa indignitatem ferre? Ita alijs famam quarimus, nobis famem, præmium scilicet honestissimi laboris, benè de viris ingratis promeritis, expectandum. At tibi, Minutule, si sapis, non solùm pauperies immunda domus procul absit (faxit enim Deus, nunquam ut tecum tam male agatur, ut hoc tibi sit precandum) sed sit etiam curæ, quo modo ex vetere maiorum tuorum instituto, id quod facis, vitam domi cum splendore tuearis. Nam hoc summæ tuæ virtuti & singulari debetur, ut cum habeas cumulatè, quo dignitatem inter tuos retineas tibi à maioribus relictam, eandem etiam auctam atque amplificatam relinquere posteris velis. Sed iam est epistola longior multò, quàm constitue-

ram: quod quidem accidit, dum mei sum magis, quam tui memor. Nam cum nunquam facile mihi moderari soleo in scribendo, tum idem est mihi, cum ad te scribo, difficillimum: ut si tibi liceat legere per tua negotia gravissima, & maxima, non iam ad te literas, sed volumina sim missurus. Vale è Laurentiano X V I I I. Cal. Ianuar.

IOAN. BAPTISTA MINUTVLVS

Ioan. Baptistæ F. Francisco Delberno

Albicij F. S. P. D.

CUpio ac vehementer quidem cupio, Franciscice, aliquo insigni argumento testatum relinquere studium erga te meum: primum quod, cum in te inuenem florentem ætate, summo ingenio præditum, patris denique tui clarissimi viri commendatione ornatum, omnium sint oculi coniecti, ego solus tantam istam facultatem, tam illustri loco sitam negligere non debeo: deinde quod pro singulari tua in omnes humanitate, me vix tibi de facie notum ita amice es olim complexus,

ita

ita liberali oratione prosecutus, ut me tibi in perpetuum obligatum putem. Itaque cum me tot causis ad te amandum, colendumque inuitari viderem, tibique plurimum debere confiterer: ingrati animi crimen à me non abfuturum existimaui, si hanc meam erga te voluntatem, tacitam, obscuramque continerem. Statui itaque, hanc ad te epistolam, tanquam amoris, quo te prosequor testem mittere. Nam cum te ijs studijs, quibus ego iam inde à puero magnopere fui deditus, quæque, cum per occupationes licet, cupide regusto, ac recolo, mirifice delectari audiam, atque adeo ipse ex sermonibus tuis iucundissimis sæpe cognouerim, qua potius ratione studium erga te meum, tibi profiteri ac declarare possum, quam ijs artibus, quæ utriusque nostrum maxime sunt cordi? Sed vellem sanè, ut facillimum mihi fuit huiusmodi literas ad te mittere, ex quibus meam erga te benevolentiam perspiceres, ita ijs ornamentis, & luminibus orationis, quæ tu in tuis scriptis adhibere soles, eas illustrare, atque vnà cum officio meo aliquam tibi tuo ingenio dignam voluptatem

x 4 tem

tem afferre possim. Verùm quæ mea est in hoc genere facultas? aut quid est, quod quicquam tale à me expectare debeas? cùm nec ea ætatis maturitas adsit, sine qua eloquentia suis numeris, & partibus cumulata esse non potest, nec tantum ocy suppetat, quantum hæc studia desiderant. Huc accedit, quòd ad vitæ institutum valde à Musis diuersum abreptus, quomodo eas liberè colere possim, non reperio. Nam cùm singulari quodam fato meo à litteris, admodum adolescens semel, atque iterum inuito meo Genio, atque adeò semper contrà nitente, fuerim abstractus, atque auulsus, eas ita interruptis, atque occupatis temporibus attingi, vt vestigia disciplinae puerilis vix leuiter impressa, in animo remanserint meo. Ita hoc quicquid reliquum est, non satis feliciter (vt vides) retracto, ac repeto. Repeto tamen, vt tibi quocunque modo possim, pignus aliquod amoris erga te mei relinquam. Tecum autem longè melius agitur, longèq; tibi feliciter omnia procedunt. Audio enim te cum viris doctissimis continenter versantem, litterarum
 Studijs

Studijs vehementissimè exerceri. Quæ vt maiore otio, ac delectatione colas, secessum tibi, ab omni strepitu, & foro comparasti Peronum tuum, quò, tanquã in Musæum cùm cõcedis, quid aliud potius agas, quàm iucundissimis lectionibus animũ tuum excolas, sapientiæ præceptis instituas, eloquentiæ ornamentis expolias? Quod cùm te præclare præstare de multis audio, & acumen illud ingenij tui mecum ipse considero, in eam spem venio fore, vt mirificos, vberimosq; fructus laborum, & vigiliarum tuarum feras. Doctorem præterea domi habes, vt accepi, eruditum, & grauem virum: cuius quidem adiutus opera, ne, quam expectationem tui concitasti, non sustineas, atque adeò superes, non veremur. Huc accedit domesticum tibi exemplum propositum ad imitandum, Bartholomæus Caualcantius auus tuus maternus: qui, cùm eloquentiæ laudibus mirificè excelleret, eo non contentus, etiam eius assequendæ præcepta nostris hominibus tradidit: primusq; iter ad eam monstrauit expeditissimum, & quæ vestigia à veteribus impressa quidem illa, sed diuturnitate

x 5 nitate

nitate temporis obscurata, obseruaret, ea redintegrait : quæ, qui sequentur, eò progredientur loci, quò ipse summa cum hominum admiratione, ac laude peruénit. Perge itaque, vt facis, adolescens ornatissime. Macte, inquam, virtute, spondeo ego tibi ac recipio, te nusquam melius quàm in his homine libero dignis eloquentiæ studiis operam collocaturum. Quæ in quem te locum non extollent? his ducibus quò tibi aspirare non licebit? mihi crede nihil ista indole virtutis, nisi tute ipse tibi deesse velis, quod à tuis moribus plurimum abest, non sperare liceat tibi. Quod cum te animaduertere non dubitem, nulla alia re me tibi commendatum magis iri putavi, quàm si me quoque ab his optimis artibus non alienum esse exploratum haberes. Quibus vtinam quantum opto, tantum mihi operæ dare liceret. haberes sanè in isto præclarissimo cursu socium, ac fortasse æmulum gloriæ. Sed cum mihi casus nescio quis hanc laudem inuiderit, tibi eam integram relinquo. Tu acerrimo ingenio fretus, amplissimisq; fortunis instructus studia hæc amplectere:
 quæ

quæ tibi erunt vtilia, & gloriosa, tuis grata, & iucunda: quorum in numero me habeas velim. Non fallam opinionem tuam.
 Vale. Lugduni Cal. Nouembris CIO.

IO. LX.

*

EPISTOLARVM
CLARORVM VIRORVM
LIBER III.



PETRVS CASTELLANVS MA-
tisconensis antistes D. Lambino suo
S. P. D.



MIHI verò etiam casus hic vide-
tur mirificus interuenisse, quòd
ab antistite Bliterensi vltro ap-
peritus es. nam cum eum nec
inuenusto ingenio esse aiunt, tum
ea gratia est illi & fratribus apud Regem, ea cum
Regina sanguinis necessitudo intercedit Strozzie
familie, vt non dubium sit, quin iam certiss. sit
cardinalis: incumbente ad id imprimis Christia-
niss. Rege, secunda quidem, & adiuuante, aut po-
tius etiam impellente gratiosorum omnium, &
primariorum hominum studio, atque voluntate.
Præterea videtur ita breui fore, & copiosus, &
potens, vt non modo non de fortuna conqueri pos-
simus,

simus, quòd res secus, ac cupiebamus, acciderit, ve-
rùm etiam summi beneficij loco numerare debeat-
mus, quòd te multò maiorem studiorum tuorum
ex hac conditione fructum capturum esse, non
dubitemus. Necum est ille locutus de te coram
Rege, priusquam tu de eo mihi quicquam signifi-
casses: dixitq; se velle tibi dare operam, & te vno
duce vti in studijs humanitatis. Et quidem ma-
gno me affecit gaudio: laudauitq; hanc illius volun-
tatem, idq; consilium vt porro sequeretur, vehe-
menter sum illum adhortatus. Recepit se ita esse
facturum ex animo, sed velut de mea sententia,
hoc vehementer etiam approbante Regina. Ita res
conuenit. Tu quid factururus sis, tecum constitue.
ego tibi magnopere sum auctor ne hanc occasio-
nem prætermittas. Quo verò honore futurus sis
apud eum, ea res mihi perquam facile, ac paucis
admodum posse explicari videtur. Est enim om-
nino perbenigno animo, & sanè quàm liberali, vt
nihil non recte committere queas & facilitati
illius, & liberalitati. Vale. Ex regia villa ante
diem quintum Kal. Feb. anno CIO. D. XLVII.

IOAN. CASA DIONYSIO

Lambino S. D.

Accepi litteras tuas humanissime scriptas, easdemque purissimas, atque elegantissimas. Carmen autem & libentissime legi, & vehementer probavi. est enim cum dignitate sententiarum graue, tum splendore verborum, & numerorum iucunditate illustre, atque concinnum. Sanè intelligo nihil fuisse, cur Calliope illa nostra inops, quam tu tamen dilaudas, tantum susciperet itineris, cum tu isthic adesses, qui Cardinalis Turnonij, hominis omni laude cumulati virtutem non modo exponere, id quod nos facere nostris versibus conati sumus: sed etiam abundanter ornare, & copiose augere facile posses. suppudet itaque me. in sylvam enim ligna scilicet. Sed tamen nihilominus Blanketo meo homini conglutinandarum amicitiarum studiosissimo, magnam habeo gratiam: cuius opera factum esse intelligo, ut ego te ista doctrina ornatum, ista scribendi facultate praeditum, non modo cognitum, sed etiam

amic

amicum habeam. Ac doleo mehercule plurimum, cum vos Venetis essetis, non frequentasse me vestram domum. quod ut facerem coegerunt me reip. tempora, & mea. carui quidem certè vberibus fructibus, & magna iucunditate consuetudinis tuae. Cum enim tua hac ipsa scripta admirans ab ijs, quibus te bene cognitum certo scirem, percunctatus diligentius essem de te, reperiebam id quod mea ipse sponte animo iam antea statueram, atque perspexeram. Docuit enim me Nasius noster, itemque alij multi de perpolitae, elegantique doctrina, deque singulari probitate, atque humanitate tua. Itaque sic tibi persuadeas velim factum me tibi esse amicissimum vel Musarum causa, quas ego à puero amavi plurimum, atque colui, quibusque gratissimum te esse intelligo: vel quod te vir amplissimus, quem ego unum maxime omnium semper sum admiratus, amat, atque in honore habet: vel quod amantissimis literis, gravissimoque ac dulcissimo carmine amorem erga te excitasti, atque inflammasti meum. Illud etiam mihi à te gratissimum accidit, quod Horatij Farnesij

nesij

nesij miserum casum, atque horribilem versibus
 præclarissimis deplorans, egregium adolescentem,
 in quo Italia iandudum iacentis spes nitebantur,
 diuinis laudibus celebraſti. Præter quàm enim,
 quòd omnis nostra natio hos lectissimos Farnesios
 fratres, maximo illorum merito, carissimos ha-
 bet, (nihil enim his præclarissimis adolescentibus
 amabilius fieri aut excogitari potest) mihi pri-
 uatim quoque vetus cum clarissima illorum fa-
 milia amicitia intercedit multis illorum in me
 beneficijs, perpetuaq; mea erga illos obseruantia
 confirmata. Quapropter sic habeto, me virtutem,
 doctrinam, humanitatem tuam, vti debeo, pluri-
 mi facere, semperq; facturum esse, meamq; vo-
 luntatem, meaq; omnia tam tibi parata esse
 scito, quàm quæ sunt tua. Cardinali Turnonio
 viro maxime illustri, quem ego & colo, & reue-
 reor plurimum, multam salutem meo nomine
 dicas velim. Vale. Idib. Nouemb. Venet. anno
 CIO. IO. LIII.

PAVL

PAVLVS MANVTIVS

Dionyſio Lambino S. P. D.

NOli existimare, mi Lambine, cum fructu &
 consuetudinis tuæ caream, quicquam mihi
 tuis epistolis esse iucundius. facit hoc sanè, qui mu-
 tuus inter nos amor est, ortus à meo de tuis vir-
 tutibus iudicio, tua verò de meis ad eandem lau-
 dem conatibus opinione fortasse non nulla: sed
 scriptorum etiam tuorum subtilitate, & elegan-
 tia mirificè delector. vel hæc, quam accepi idibus
 Iunij, raptim à te, vt video, exarata epistola, quàm
 loquitur purè, quàm nullis illustrata pigmentis,
 nullo, vt tu scribis, fūco, tamen nitet? itaque nihil
 vnquam legi libentius. Quæsieram autem per lit-
 teras à sororis meæ filio Iulio Catone, ecquid par-
 turiret ingenium tuum, non tam vt meæ, quæ
 summa est, quàm vt eorum, qui ad me adeunt
 quotidie, cupiditati satisfacerem. Scito enim, ad-
 mirabilem hîc esse quandam de studijs tuis opi-
 nionem, cum è sermonibus meis, eximia sæpe tua
 cum laude habitis, tum verò ex illa præstanti in-
 dustria, quam in conuertendis Aristotelis de
 y morali

*morali philosophia libris ita collocasti, non modo
 ut eorum, de quibus diu bona hominum existi-
 matio fuit, errata patefaceres, sed ut ipse maxi-
 mam & iudicij, & mihi quidem ut videtur, qui
 ea cum Græcis diligentissimè contuli, etiam elo-
 quentia laudem ferres: quod à te institutum re-
 tineri, & eandem operam ad reliqua conferri, si
 quis est qui valde cupiat, ac te etiam tacita sæpe
 cogitatione hortetur, is ego sum. publica, fateor, me
 mouet vtilitas, cui te video, Græca ac Latina lin-
 guæ peritissimū, præterea instructū ijs artibus, à
 quibus perfecta intelligendi ac iudicandi ratio
 manat, vnum in primis posse consulere: sed me-
 hercule etiam gloriæ tuæ pro amicitia nostra ve-
 hementer faueo. vides enim profectò, (quid enim,
 quod ego videam, te latet?) paucos omnino ex ijs,
 qui populari fama celebrantur, sine exceptione
 posse laudari, & hac tanta quotidie exeuntium
 librorum copia impediri potius, quàm adiuuari
 studia nostra. Quare suscipe onus pro tua parte.
 nervos novimus industriæ tuæ: quos si contendere
 volueris, nihil est, quod sustinere, ac perferre non
 possis.*

*possis. Tuos intere à in Horatium commentarios
 avidissimè expectamus. Nam, de Lucretio, suadeo
 equidem ut absolvas: Poëta est egregius, vel Cice-
 ronis nostri testimonio: & in eo maximam à
 multis, nec à me ipso minimam gratiam inibis:
 sed voco te libentius ad illa præstantiora: nec tu
 meum consilium, atque etiam studium, si modò
 tibi aut sapere aliquid, aut velle tua causa vi-
 deor, debes in tua laude contemnere. Si nauigatis
 in Galliam, quod à te scriptum confirmant multi,
 opto vobis facilem cursum, & secunda omnia: teq;
 rogo, nisi me ineptum esse censes, & nimis impu-
 denter petere, ut apud Cardinalem Turnonium,
 principem sapientissimum, optimarum artium
 patronum, me in gratiam ponas, quem hîc honoris
 causa salutare, cum maxime vellem, per inualetu-
 dinem nunquam licuit. Sigonius, planè, ut ais, vir
 doctissimus, addas licet humanissimus, cui tu in
 transuerso litterarum tuarum versiculo salutem
 ascripsisti, valde gaudet amari se, ac laudari à te,
 de quo ipse honorificè in primis loquitur, & sentit.
 is te resalutat amantissimè, euntiq; in Galliã inco-
 lumis*

luminatam, & reditum precatur. Vale. Venerijs,
M. D. L X. X. Kal. Quinct.

IOACHIMVS PERIONIVS BENEDI-
ctinus Cormeriac S. D. Dio-
nyfio Lambino.

Litteras abs te, Romæ a. d. XII. Kalend.
Maij datas, Cormeriaci a. d. IX. Kalend.
Quintil. cum paucis antè diebus Lutetia rediis-
sem, accepi. ex quibus, id quod mihi nouum non
fuit, cognoui, te rerum mearum maximum apud
Cardinalem Turnonium fuisse prædicatorem.
Tum enim id mihi nouum fuisset, si te aut nul-
lum antea officium mihi præstitisse recordatus
essem, aut quoties mei laudandi locus daretur, in
amplificando meo nomine remissioem fuisse in-
telligerem. Quid? ergo (inquies) officium erga te
meum tibi non probatur! non ita dico, mi Lam-
bine. Aliud est enim nouum sibi non esse amici
officium, aliud non esse gratum aut probatum.
Gratum igitur mihi tuum istud officium fuit,
non nouum, imò verò eò gratius, quòd superiorum
tempo

temporum officia, quæ in re pari, similiq; in ge-
nere iam & plurima, & maxima extiterunt,
illud maiore commendatione dignum efficiunt.
Nec verò statuere possum, vtri deuinctiorem me
profiteri debeam, tibi ne qui prædicatione tua Car-
dinalem Turnonium tam mei amantem, studio-
sumq; quam scribis, effeceris, an illi, qui cum tanta
sit & auctoritate & dignitate præditus, tacita
mei recordatione in ijs meis scriptis quæ probet,
contentus non fuerit, quod tamen in maximi be-
nificij loco numerandum iudico, sed tibi negotium
dederit, vt ad me scriberes, librum quem de vitis
Apostolorum scripserim, & sibi & Iulio III. pon-
tifici maximo, ad quem illum miserim, valde pro-
bari. Cuius quidem tam propenso in me animo vt
aliqua ex parte respondeam, ac satisfaciam, li-
brum de Christi, Mariæ eius matris, Ioannis præ-
cursoris vita propediem in illius nomine diuul-
gare statui: idq; vt ei significes, meisq; verbis offi-
ciosissime salutem dicas, te vehementer etiã atque
etiã rogo. Magna tu quidem me à Iulio pontifice
maximo expectare oportere scribis, adeò vt me
y 3 neges

neges debere dubitare, quin ab eo, quiduis impetrare possim. sed vereor, ne tu oratorum magis, quam eorum qui Latine loquuntur, more istuc scripsisse videare. Nam in eo quidem situm esse scio, ut non me unum, sed alios innumerabiles beneficijs ornet & maximis, & plurimis. sed quis mihi, ut de me potissimum dicam, vel minimam rem ab eo petere velit? neque enim mihi ipse tantum ausim, aut velim sumere, ut egomet ab illo quicquam petam, nedum impetrem. Sed tamen quò facilius iam liberalem illius in me voluntatem retineam, propediem ad eum hexaëmeron Basilij magni à me iampridem conuersum, perferendum curabo. Eum enim in eius nomine iam diuulgatum arbitror. Tu verò, si quid potes, imò verò quia plurimum potes & per te, & per eos, apud quos præstantis doctrine nomine multum gratia vales, in hanc causam nostram incumbito. Tuum est enim, qui me in hac spem coniecristis, eà ne falsa sit, prouidere. Quod si facias, sicuti facturum te pro iure necessitudinis nostræ confido, mihi crede, τὰ τῶν φίλων κοινὰ esse senties.

senties. Vale. a. d. VI. Idus Sextil. Cormariaci anno CIO. IO. LI.

Si tibi non hanc citò, quam debebam, rescripserim, ignosces, quòd Cormariaci nunc agam, id est eo in loco, unde nec Lutetiam, nec istuc, quoties volo, possim scribere. Tu verò qui Romæ es, cum voles, respondere ad has poteris: quod ut facias, maiorem in modum abs te peto.

Φρασκίσκος Πόρτος ὁ Κρής Διονυσίῳ τῷ
Λαμβίνῳ χάρειν.

Ὡ λόγων, ὦ μουσῶν, ὦ ἀθηκῶν χα-
ρίτων εὐφραδίας τε & γλαφυρότη-
τος. ἐμελλεν ἄρα, Φεῦ ἀθηναί σκέτλια,
τὰ τῆ πειθῆς τῆ σῆς, & χαριεντισμῶ, &
φιλῶν ἠρακλέες ἐπέκδνα με ενεχθῆναι·
ὅτε τὸ Κελτῶν ἔθνος ἐπὶ τέτοις αὐτοῖς ἀναμι-
φιβόλως τὰ πρῶτεια φέρεται. & πῶς ὦ
ιερά κεφαλή, καγαθὲ διονύσει, ταῖςτος ὦν,
ἐς λόσον ἐλθεῖν ἀσχύνῃ τοῖς πάντα τὰ
καλὰ μῶ τῆ ἐλευθερίας, & πάσης πα-
γ 4 δέας

δείας ἀπολωλεκόσιν, ἐμοὶ μὲν οὖν ὀκνητέον.
 Ἐ τὸ πρῶσωπον πῶς καλυπτεῖον ὁπότ' ἔ
 σῆς ὀμιλίας τε ἔ ἐντεύξεως ἀξιοθῶ· σὺ δὲ
 πρὸς γνησίας ἀρετῆς, σοφίας, ἔ φιλαν-
 θρωπίας μή μοι ποῖς προφάσις, ἔ ἀναβο-
 λὰς: μὴ δ' ἀδῶ προτέρων, ἢ ἐπιείκειαν
 πλὴν σῆν, ἔ πολυμαθίαν ἀλλοδαπῆν, ἀνία-
 με τοσῶτον, ἀλλὰ δὸς πλὴν ταχίστω ὥστε
 με τὰς ἀγκάλας σοι περιβαλεῖν, ἀσπά-
 σασθαι τε, ἔ τῷ χεῖρε σὺ κατὰφιλήσαι,
 εἴ ποτε τῷ τῶν ἐρώτων δεινῷ κέντρῳ ὁ, μοι τῆ
 καρδία ἐνέπηξας, φάρμακον ἔυρωμα, ἔ
 πλὴν ἔ ποῖς φλόγα ἢ κάμομα σφοδρῶς, ἀπο-
 σβέσωμα· τοσάδε μὲν σήμερον ἀντεπιτέλλω,
 βράδιον ἢ ἔδει, πολλοῖς συνεχόμενος πρῶ-
 γμασιν, ἔ τῶ σώματος ἔχων ἔ κάλλιφα·
 τὰ λοιπὰ δ' ἀυρῶν ἀυτὸς παρών· τέως
 ἔρρωθ θεία κεφαλῆ, ἔ φίλει τὸν πλὴν σῆν
 παδείαν, ἔ καλοκαγαθίαν θαυμάζοντα· ἐκ
 ἔ ἐμῶ μισείῃ ἐκτῆ φθίνουτος ἐκατομβαιῶνος.

IOAN.

IOAN. MALVDANVS DIO-
 nyfio Lambino S. D.

QUò maturius, quàm sperabam, eo iu-
 cundiores mihi venerunt litteræ tuæ: quas
 accepi v. die post, quàm Tolosa profectus es, datas
 Insula ἐν ὁδοιπορίᾳ. De Montio, ὁ stoma-
 chum, ὁ querelas δυσδικοιμήτους· εἰς τὸ ὑπε-
 ρον ἀποβήσεται ille τοῖς φιλολόγοις εὐμενέτε-
 ρος. Res tuæ Hugoni, mihiq̄ ita cura sunt, ut
 meæ. De Academia, ludus hodie aperiri cœpit,
 sed ἀτάκτως, ἢ πῶ ἀπολήφουται, ὡν ἠλπι-
 σταν. Postquam cognouero, ubi sis: curabo, ut,
 quæ te scire tuâ intererit, ἡμερόλεδον perscripta
 ad te perferantur omnia. Idem tu facias, velim:
 ut tui desiderium minus moleste feramus. Mem-
 mi fratres, mei amores ἔ duplex cura, te saluere
 iubent. quoties tibi gratia accumbinus, succurrit
 illud εἰς, δύο, πρῶς. τέταρτος δὲ πῶ; Etiam
 atque etiam vehementer cupimus à te litteras
 accipere huiusmodi, quæ loquantur τὰ κατὰ
 λαμβινόν, συναρξῆς δεξιῶς πρῶμασιν αὐτῶ
 τῆς τύχης ὑπὲρ πᾶσαν εὐχὴν πλὴν ἐμὴν πρῶ-
 γ. 5 χωρεῖν.

χωρεῖν. promittimus εὐαγγέλια, futuri inter-
rim τὰς ψυχὰς ἀπηρημένοι, & μετέωροι
ταῖς ἐλπίσι. Quod reliquum est, in isto comi-
tatu te proba παιδομαθῆ τ' θεραπεύτικῆς: atque
ita, ut nunquam tibi excidat ὄ, μισῶ Θφιστή.
Vale, ὑπερηλατηρῆ μοι κεφαλῆ. Tolosa,
Kal. Quinctilib. quo die tuas accepi. CIO. IO.
X L I X.

M A L V D A N V S L A M-
bino S. D.

Omnia, quæ mulioni Rondeleti nuper ad te
perferenda dedi: accepisse te arbitror, cum
binis meis litteris, quibus binis tuis respondi. Nunc
verò hæc habe: cogitamus Cadurcum: quod op-
pidum omnium maximè idoneum videtur cum
studijs nostris propter Academiam veterem, cui
sumus longè carissimi: tum verò curandis cor-
poribus propter singularem illius cæli clemen-
tiam, & salubritatem, quam superiore æstate su-
mus experti. hoc enim tempore illud in primis se-
quor, Aestate pueri si valent satis discunt. Tolosa
cæpit

cæpit esse pestilentior. cuius etiam satietas, ex quo
tempore tuæ iucundissimæ consuetudinis fructu
careo, me cæpit (michi crede) incredibilis. Arcam
tuam, obseratam, ut erat, Solerij Consiliarij Reg.
hominis tibi amicissimi fidei commisi. Ubi sis
multi sciunt. Scit ipse Furnerius. cum enim casu in-
eum heri incidissem: Audio (inquit) Lambi-
num esse apud Cardinalem Turnonium. id me
scire negavi. Montius iterum ad me nuper.
tuas operas omnibus suis latifundijs iam redime-
ret. post multas tamen querelas, ille ἀπειλη-
τικόν τι κεκράγως ὄχετο. Vide ut quampri-
mum ad Thomam nostrum scribas. tibi per bene,
ac perhonestè cupit. Idq; intellexi nuper, cum illi,
& Cammagio postremam tuam epistolam legi.
Plurib. tecum non possum. animus enim meus à
scribendo traducitur ad componendas sarcinas.
hocq; temporis, quod in scribendis ad te vnum lit-
teris consumpsi, suffuratus sum ex summis meis
occupationibus. Tota ista nostra migratio eò mo-
lestior (si quid molestiæ habitura est) erit, quòd
minus sæpe à te mihi litteræ Cadurci reddentur.

Si

Si tu mittes ad hospitem nostrum, curabit ad me perferendas. Cras bene manè nos in viam dabimus planè petasati: eaq̄ erit ratio itinerum nostrorum, ut ardores vitemus. Tu verò exemplo nostro valetudinem tuam cura diligenter. litteras tuas plenas omnium rerum tuarum expecto. Memmius vterque tibi salutem. Vale. Tolosæ a. d. VIII. Id. Quint.

MALVDANVS LAMBINO S. D.

Litteras, vel potius volumen litterarum tuarum accepi postridie eius diei, quàm Cadurcum peruenimus, κερμηκότες μὲν ἐκ τῆς ποπέας: sed illarum iucundissima lectio omnem lassitudinem absterfit, atque adeò planè deleuit. Eum video esse cursum rerum tuarum, ut si, quod præclarè cœpisti, ad exitum deducas, beatissimus futurus sis. De consilijs celandis, frustra admones. nota enim omnia etiam ipsis tonsoribus: sed vnde, nescio. vni Glauio rem aperui. maior enim mea simplicitas fuit, quàm ut eum igno-
rum

*rum huiusce rei esse diutius sustinere potuerim. ea tamen lege, ut id in sinu ferret, neque vnquam discingeretur. Eumq̄ ita fecisse liquido iurauerim. Sed quid metuis, cum res ita prosperè successerit? Arcam tuam deposui apud Solerium: corpus Iuris apud hospitem meum: id tibi significavi litteris illis, quas Tolosæ reliqui pridie quàm proficiscerer, ut tibi perferrentur. Hic quàm iucundi simus omnibus, id est, Bertrando, Petrucia, Uaxi (Illi enim triumuiui in hoc oppido omnium mihi instar sunt) dici non potest. Dicuntur aduentare Chanaj et Bertrandus cum suis doctoribus eruditissimis. Tum demùm cum talis cœtus hic erit, poterone, te amabo Lambine, Tolosam desiderare? Te vnum desiderabo. Cetera, quæ quidem, mihi optabilia videtur, ἀφθόνως suppetent. Memmij mei, vel potius tui tibi S. D. Vide ne quem prætermittas, cui dare possis ad me aliquid litterarum. Hoc scribendi officio nihil potes nobis facere gratius. litteras alias à me expectato, cum vacuus ero. nondùm enim sunt sarcinulae nostræ compositæ, nondum libri dispositi, nec Biblio-
thecæ*

theca instructa, atque ornata. Vale, & nos ama.
Cadurci, pridie Idus Quinctileis, anno CIO.
IO. XLIX.

MALVDANVS LAMB-
bino S. D.

PRidie, quàm Tolosa discederem, litteras ad
re dedi, quibus te certiore faciebam, quem-
admodum apud Solerium tuam arcam, & omnium
rerum tuarum curam reliquerim. postridie vero
quàm saluis duabus meis animalis, Memmios
dico, Cadurcum me recepi, alteras scripsi, quàm
diligentissimè licuit per nostras sarcinas, in qui-
bus componendis totus eram: quibus responde-
bam illis tuis longissimis: quas eodem die mihi
reddiderat Hugo meus, vel potius noster. Quoniam
vehementer dubito, eas duas epistolas acceperis,
nec ne: facito hac sollicitudine quamprimum me
ut liberet. eadem nunc quoque facit, ut vix au-
deam quicquam scribere. Vereor enim ne litteræ
intercipiantur, præsertim cum Marsanos cogites
cum Card. ut significant tuæ litteræ: quas hodie
accepi

accepi Maserij datas a. d. VI. Id. Quin. desinitque
qui rectè ad te eant. Scribam tamen, etsi nos
amet Simo Thomas, curabit litteras ad te dili-
genter perferendas. Octauus hic dies iam agitur,
ex quo peruenimus Cadurcum. qui locus ita mu-
nitus est naturâ, ut nullos æstatis calores sentia-
mus. alti enim montes, quibus circumseptus est,
facile tela diei (ut ita loquar) à nobis arcent. in
quos relicto Tmolo Liberum patrem migrasse, vel
minima degustatione tibi vinum probaret, quod
bibimus. Virorum genus eò humanius experi-
mur, quàm Tolosæ: quò propius absunt à cæli
Francici clementia. Mulieres ea (Ἐπεὶ γὰρ
ὄμιμα) ut urbem non male nomine καλ-
λίσυακα. Annona, & totius rei cupediaria
caritas nulla. gularum etiam non frequens nume-
rus. Si essemus ij, in quos illud dici posset, Viuite
Lurcones, comedones, viuite ventres: vereretur, ne
cum primum veniremus in tuum conspectum, nos
nitidos, & bene curata cute (ut reliqua taceam)
videres. Laxius habitamus & magnificentius,
quàm Tolosæ: sed οὐ γὰρ ἀμφοτέρω: &
minus

minus luminosè. nam in summa vicorum angustia in tantam sublata sunt altitudinem aedificia, ut suis luminib. in vicem officiant. extra urbem imus deambulatum secundum amnem: quàm incredibilis est arborum amœnitas. Primi Tolosa migrauimus. obseruaramus enim σημεῖα οὐρανοῦ. consilium nostrum non improbat. iam hîc cum Rupæo Goueanû tuum habemus. quem heri ob os apud suos auditores in calum Petru-
cia laudibus extulit. facile perspexisses, ea hora illum τὰ τῶ γουεανῶ εἰς ὑπερβολὴν φρονεῖν in iure Ciuili. iam Treninus Cœnobiarcha cum Godofredo suo, quẽ habuimus heri in cœna pauci quidem cibi, sed multi ioci conuiuam (venerat enim diuersorij conducendi causa) iam Glauius, iam Chanay fratres expectantur. facient illi, ut minus desideremus Tolosam: sed vnus λαμβανὸς τῶ μαλθακῶ ῥμοτοτροπώτατος si adesset: eam valere iuberem in perpetuum. Toti Academia quàm simus cari, dicere non possum. constitui (si per occupationes liceat) explanare sanctionẽ Imperatoris de Caducis tollendis. Nam

gymn

gymnasij ea est amplitudo, ut non opus sit summa vocis contentione, & singulari quadam laterum firmitate: qua duo ab eo labore glorioso me semper Tolosæ deterruerunt. cum enim nostri Memmij in cursu erunt: non committam, ut dicatur ἀλλ' ἡμῶν ἄρα νηυσὶν ἐτώσιον ἀχθος ἀρῆρης. adde etiam, quòd non cogemur, ut illic, ὀρθοῦ ἀδὴν docere. Apud Marsanos si te videat Geor. Memmius, dabit operam, ut cognoscas, quantum tua causa cupiat: idq̄ me suadente. ad Reginam ire non licet. De toto tuo isto itinere quamprimùm fac ut sciam omnia κατὰ λέπτου. Tibi persuade tuis litteris nihil mihi esse gratius. Parisienseis nullas dum accepi, quæ ad te scriberentur. Vale. Ἐμπέρως τ' θεραπείης ἔχων διατέλει. Cadurci, sub noctem a. d. XIII. Kal. Sextilẽis. Cum hac scriberem, iuerant inambulatum Memmij. inciderunt in Goueanum, quem nondũ hîc videram: is post illa, quæ fieri, diciue solẽt ab ijs qui inter se obuiã fiunt, Ubi, inquit, Maludanus vester? Domi, inquit, illi. cur, inquit, hodie ita οὐκ ἔρῃ? Scribit, inquit,

z litte

litteras Lambino. ille verò, inquit, nunc vitam agit apud Card. Turnonium. Quis, inquit, scis? Lambinus cum Cardinali? hoc haecenus nos latuerat. ista, inquit, quam dissimulanter à vobis dicuntur? vultis de me audire, utrum mihi ille hoc dixerit: ut si dixerit, liberè id fateri possitis. sin minus, pergatis negare. ego verò id iam pridem scio: Quid si ipse autor fui Lambino, ut id consilij caperet? De hoc sermone haecenus. plura cras auditurus sum in prandio apud Petruciam. Cum primum has litteras acceperis, scribito ad me. Memmij mecum te, & Memmios patruos saluere plurimum iubent. Vale, iterum carissime Lambine. Castellani (hoc mihi pænè exciderat, quod te scire tua interesse puto) primo quoque die se Cadurcum recipient. iam paratum est illis diuersorium. Si quid ad te litterarum attulerint Lutetiâ, curabo ut quamprimùm accipias.

MALVDANVS LAMBINO S. D.

Scripsi nuper ad te breuiss. litteras: ex quibus sintelligeres, & tuas postremas mihi perlatas fuisse,

fuisse, sed (quod molestissimè tuli) resignatas: & tuo Goueano desponsatam virginem & forma, & ipso etatis flore pulchrè dotatam. Nunc hæc scito: eam idib. Septemb, uxorem domum duxit vesperi sub noctem, cum vna, atque altera face, sine tibijs neque dextris, neque sinistris: sine solenni pompa. Iam vir est. Incertum, utrum in animo habeat ad scopulos Cadurcens. consenescere, an cum Gallaconiuge in Lusitaniam ad suos aliquando reuerti. Quid ominentur homines, tu diuinaris. Inunc: & me vocantem hanc urbem καλλιθυρίακῆ ride. Expecto autem quos Fescenninos amico cecineris. Vide (inquires) tu, ne tibi canantur. Mi Lambine, Diu meliora monuerint: & (ut ait Lucillius) hanc amentiam auerruncassint. nosti illud, πᾶσα γυνὴ χολός ἐστι. quod his in locis maximè experiuntur mariti. Nuper Casædei Cænobiarcham, cum Lutetia Tolosam proficiscens hac iter faceret, officiosè salutauimus. res nunquam ita tulit, ut de te (quanuis id studiosè captarim) in sermonem incideremus. Simul acceperimus nobis licere esse saluis Tolosæ: iube-

Ζ 2 bimus

bimus valere has Orestiadæ in alteram æstatem. inter hos monteis, hoc est, quemadmodum interpretor, inter magna frigora hiemare durum esset: præsertim cum haud liceat per lignorum, à quibus pessimè imparatum est oppidum, pœnuriam, uti camino luculentiore. Vale. & tibi persuade, te à me & fieri plurimi, & vnicè amari. Cadurci, a. d. XIII. Kalend. Octob. Vindemialibus. Ne tibi desit argumentum scribendi, explica mihi quid sentias de abalienatione, quæ fiebat per nexum, aut in iure cessionem. Budæus ait toto iure civili non fieri mentionem nexus, nisi in rescripto Imperat. de vsucap. transformanda. Sed puto tollendam esse voculam NEXV, eo in loco. Tamen quod Lambino, idem videbitur Maludano in hac quæstione.

MALVDANVS LAMBINO S. D.

Post litteras, quas ad me dedisti a. d. VII. Id. Sextileis, nullas accepi præter illas Parisienses: quæ me mirabiliter delectarunt: nam
mihi

mihî nunciarunt, quod omnibus votis expetebam, acta, transacta esse omnia. discas aliquando magnam fortunam non ferre, sed retinere. in hanc sententiam plura dicerem: nisi scirem te consilijs abundare: teq; qui à Iurecons. tuis didicisti alijs cauere, tibi non defuturum. conieci in hunc fasciculum exemplum litterarum, quas doleo ad te suo tempore non peruenisse. ita enim factum est, ut cessator, qui minimè omnium sum aduersus te, tibi videar fuisse. Colligimus sarcinas, ut dum via nondum sunt ineptæ, iter commode Tolosam faciamus. de veteri tuo nomine, quod anceps semper iudicavi, sequar, quod Solerius suadebit. In his locis hiematurus est Glaius cum sua cohorte. nisi utatur camino luculento, periculum est ne inter has rupeis frigoribus congeliet. Goueanus iurat bene solis esse maritis. sed ei non creditur. cœnam is dedit nudius tertius Corasio: qui huc cum uxore peruenerat Tolosam proficiscens. Vide, ut semper veniant ad me litteræ tuæ: vide item, ut certis hominibus des perferendas. earum enim iacturam grauissimam puto. Galterus tuus vnas
Z 3 tuas

tuas mihi legit : quibus suadebas , vt ad te cum Castellanis veniret Auscos. Illi & Treninus cum Godofredo , & Gladius cum Amelio , & Memmij mecum tibi pl. salutem d. Quamprimum expectato litteras Tolosanas à me , easq̄ bene longas. Vale, Cadurco, manè Diualiorum. Turnebo & Aurato ex me sal. dicito.

IOAN. MALVD. DIONYSIO

Lambino S. D.

Postquam redij Tolosam : multoq̄ ante, quam decederem Cadurco : nihil planè ad te scripsi. Rogabis , cur tot menses muti à litteris abierunt ? acceperam cohortem vestram ita ambulatoriam esse & πορὰδιν φερομδύιν, vt nusquam locorum consisteret. Itaque quia verebar, vt litteræ tibi perferrentur : continui me nequid ad te scriberem. atque adeò ne nunc quidem hoc epistola scripsissem, nisi significasses postremis tuis litteris manu pueri scriptis mansionem in istis locis vobis futuram bimestrem. Venio ad ea, quæ scire aues. Litteras , quas misisti & Parisijs , & Lugd

Lugduno , & Roma , omneis scito saluas ad me peruenisse : quæq̄ fuere longissima, longè iucundissimas fuisse : Romanas dico, datas a. d. XIII. Kal. Februarias plenas suffragiorum, & tam celeris nauigationis : vt vos non onerarijs, sed celocibus vsos esse putem. Multa quidem ὑπερβολικῶς : sed quoniam vis esse ἀξιόπιστα : hoc tibi dabo mi Lambine , vt vera esse credam. Postridie quam accepi , misi ad tuum Solerium Senatorem, qui πᾶσι & πᾶσαις eas recitauit, ita approbantibus, vt Ferrerius copiam sibi fieri, vt describeret, postularit. Est, quod te moneam. cum salutem amicis ascribis : aut omneis nominatim appellato : aut neminem. qui enim se vident ἀπεσοφωνήτες, eis ἀσεν observari ἀσεναντέων. à Sebilto mihi nuper reddita est epistola Gallice scripta : quæ prior quidè, quam tua, profecta : venit tamen posterior. idè pœnè argumentum vtriusque : nisi quòd disideris in duobus. ille scribit Paulum tertium Pont. max. sex dies agrorafse : tu treis. ille Card. in conclavi XLII. fuisse : tu XL. quæ res fecit , vt de cetero minus mirer , si

z 4 quando

quando in veterum incidam historias discrepantes. De nomine Fontaugeriano, ita suspectum est, ut verear, ne habeas necesse χρέος facere ἀποκοπήν, vel pati potius. illi veteratori amici suadent, ut se ab eo ere aut versura vindicet, aut venditione. sed non proficiunt hilum. Nisi quid reperiat, comminiscatur'ue Solerius, qui chirographum habet: lege agendum erit. Arcam quamprimum mittam ad Dalbenum Florentinum. iam accepisses, nisi aliud fuisset consilium Solerij. Corpus Iuris civilis vendidimus: quanti potuimus. pluris potuissemus, si anima affuisset. De Academia, τὰς τῶν κρατῶντων. Memmij tui & mei minus iam sunt, quam antea, κωφὰ πρὸς ὄσῳτα. meditabimur nos quoque aliquando, qua respondeamus de iure, ut Lutetiam, cuius desiderio conficior, reuertamur. ibi te desiderabo, ubi esses εἰς ἐμοὶ μὴρίοι. Nudiustertius pransi sumus apud Mansencalum praesidem. aderant Chanay, Remondus, Corasius, Cuiatius. scriberem, qui sermones habiti fuerint, sed μισῶ μνήμονα συμπότην. Pridie eius diei caenam nobis dederat

Murel

Murellus, ubi fuimus, excepto quod non simul esses, caetera lati. Eius ἀλόχῳ τὸ κάλλος μὲν ἔλενν, τὴν σωφροσύνην δὲ πηνελόπη. (ita enim disertè appellas) gratissima salus esse solet, quam ei nuncio tuis verbis, quoties à te litteras accepi. Superiorib. diebus facta sunt iusta Reginae Navarrae in Vasconia. funus ducebat Regulus Vindocinens. Solerio iuniori filia Stephani mercatoris desponsata est. heri Castellani & Galterus tuus Tolosam ingressi sunt. eos hodie inuisam salutandi causa tuo & meo nomine. Mongæus nobis scripsit, neque nos celavit, quemadmodum Auenione iter feceris. Cùm te hoc tempore Romae esse cogito, & Sebilletū: vobis mirificè gratulor: subinde, etiam tacitus, exclamans Φεῦ ἡδονῆς & μακαριότητος! cuius, spero, me facietis participem, si quando in vestrum complexum viuis venero. Sed, vos amabo, videte, ne ab ista Italia in Galliam redeatis κυρλωαῖκοι. Vale Tolosæ XV I. Kal. Mar. diebus hilaribus, quibus omnes sequimur τὸ ᾄδει τὴν γαστέρα ἀγαθόν. Cras cenabimus apud Trinitanū. à Godefrido, & Maludano

Z 5

ludano bibetur more veterum Lambinus octo cyathis. Ber. Anciondus, tuus & noster extraordinem tibi S. dicit.

IOANNES MALVDANVS

Lambino S. D.

Hilaribus Lugdunum litteras misi ad Dalbenum Florentinum: ut curaret tibi Romam perferendas. Vehementer cupio tibi redditas esse: partim, ut aliquando tandem desinas mihi tuis epistolis inferre mirificas illas verberationes cessationis: partim, quia plenae rerum erant, quas te scire tua interesse iudicabam. non committam igitur, ut haec idem, quod superiores, cantent. Filiacio arcam tuam tradidi. Aureos à Fraudargentario (Fontaugerio volueram dicere) quādo accepturus sis, haud planè scio. producit nos, nisi fallor, vana spe. à te quidem Gracè peritissimo Gracas litteras discere potuit: sed alio magistro ita perdidicit, Graca fide debere, ut iure possit usurpare τὸ, πολλοὶ μαθηταὶ, κρείττους διδασκάλων, admone saepe Anto. Solerium, ut
homi

hominem ἀπαυτῖ, atque adeò ἀνάδην urgeat. Nam, nisi per eum, ὄξυρολογεῖν planè est ἀδύνατον. sua auctoritate plus ille poterit, quàm nos sexcentis interpellationibus. Heri cœnam nobis dedit Simon Thomas, ἡγετῆρ μὲν ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων: meo quidem iudicio. In summa mensa accumbebam medius inter duas sorores formosissimas, alteram viduam: alteram nubilem. ὦ, si fuisset aliquis ego tunc ξαρωζορήτωρ. Quoniam mihi posco (sed vide, ne rideas) γυνῆκα, πρῶτον σὺφρονα: deinde ὠρέων: postremὸ πλυσίαν: non impetrabunt amici, ut Lutetiam Parisiorum non cogitem. Uxilis superiorib. diebus de iure responsitavit. abiit Nompessulum: ubi uxorem ducat, & doceat iura. Is, cuius ineptias ego, & tu solebamus non solùm urbanè μυετηρίζω, verùm etiam interdum stomachosè, & iracunde κακίζω, in matrimonium duxit cuiusdam typographi filiam. non cessat λεωτολογεῖν. mitto tibi de eo à nescio quo scriptum epigramma. Salerius designatus est senator: de cuius Cathedra multi dimicabunt: & vadent

vadent solida vi. sed vnus Custos omneis non ex iure manum confertum: sed mage, non dico ferro, sed auro, nosti cetera. Galterus rusticatur cum Castellanis. Chanay hic adhuc sunt. Goueanus edet quamprimum lib. de Iurisd. emetur asse, quod vobis aureo vendebatur olim. Fædus inicum esse cum Britanno, à buccinatore publico ritè hic conclamatum est: quibus conditionibus, ab alijs malote audire. A Memmijs Trinitano, Godefrido, Simone Thoma, Aurello, & ὑπὸ τῷ αὐτῷ τὸ κάλλος ἐλέυης, τὴν σωφροσύνην πηνελόπης, plurimum salueto, Furnerius tuus hac Quadrag. in concionib. regnavit. Si vacas, scribe ad me de viris doctis Italiae: eorumq; libris: si qui sint editi, qui probentur non Consentinis aut Tarentinis, hoc est, in vulgus: sed vni Persio, hoc est, vt quidem ego interpretor, doctissimo Lambino.

Tolose XVIII. Kal. Maias.

IOANNES MALVDANVS

Lambino S. D.

EO tempore tuæ postremæ literæ mihi sunt redditæ, quo meus animus consolationem aliquam

aliquam desiderabat. à Memmijs scilicet recens abieram, cum quibus vixeram iam annos vndecim sanè quàm familiariter: & quia eos paterna caritate semper fuerã cõplexus, discessio non potuit esse mihi non acerbissima. Omnia eorum quidem mihi etiam nunc proinde patent, atque antea. manet idem vultus, & vt opinor, etiam animus erga me, qui fuit olim. sed tamen illa γηροζόφος mi Lambine tibi non incognita, quæ (vt ille ait) μάλιστα θνατῶν πολύζοπον γνώμαν κυβερνᾷ, plura mihi spondemat, quàm præstitit. nihil nisi illud verbum vsurpatur mihi quotidie, τέτλαθι. cetera, quæ ad eam rem pertinent, tibi malo, quàm epistola committere. coram sanabis, quod adhuc est ἀνήκεστον ἄλγος. vides igitur, quàm in ipso tempore mihi perlata sint Lutetiam tuæ litteræ. alteras tuas Brebaro tuo reddidi. Quæ te scire velle arbitror, scribam more meo, ἐν ἐπιτομῇ. τῶν κατ' ἀγορὰν ἀκορέτως ἐχομαι, neque cesso aut ἀκροαματικῆν agere: aut ὀλίπατον obire tam ἐωθινόν. quàm δειλινόν. haud dum scio, vtrum hic domicilium collocaturus sim. nam

in

in causis agendis nunquam regnabo. mihi desunt
 tum confidentia, tum vox, dotes, quibus præstare
 eum oportet, qui in foro versari cum aliqua gloria
 statuit. itaque nisi iuuer ope & gratia alicuius
 pragmatici: exemplo multorum hic planè conge-
 labo. Burdegalam vocor à quibusdam, non iniquis
 conditionibus. Curia tamen Parisiensi, ante
 unum aut alterum annum, ultimam salutem di-
 cere non constitui. Interim in Galliam se recipiet
 Cardinalis tuus, ut mihi liceat prius, quam ex his
 locis migrem, te dissuauari. Auratus meus ex
 filiola hisce diebus pater factus est. Gallandius &
 Ramus magis nunc hostes, quam unquam antea.
 ardent inter eos λογομαχία, sed παρὰ πικρόδης.
 nam planè plumbeis scriptorum quasi pugionibus
 sese mutuò petunt. prodierunt utriusque aduersa-
 riæ orationes: quæ ita mihi placuerunt: ut lectis
 primis paginis sequenteis non desiderarim. Tur-
 nebus futurus est typographus Regius in locum
 Roberti Stephani, Tenentur omnium manibus
 Tumuli Reginae Navarra: quos Latine scripse-
 runt tres sorores Britannica. in Græcam linguam
 transtu

transtulit Auratus: in Italiam Io. Pet. Memmius
 meus familiaris: in Gallicam Ronsardus noster:
 id est, tuus & meus: Bellaius, Baifus, Comes Al-
 sinous, Antonia Deloia: quæ mulier meo
 quidem iudicio in eo genere viris nihil concedit. li-
 bellum tibi misissem: si habuissem qui perferret.
 delectarere mirabiliter varijs ingenijs, quæ in eo-
 dem argumento feliciter elaborarunt Mariliacus
 Regius patronus a. d. IX. Kal. Maias hora
 quarta pomeridiana excessit è vita admodum
 Christianè. postridie funus duxerunt amici &
 propinqui sine vlla pompa, ut moriens iusserat:
 sed non sine omnium bonorum lacrymis. deside-
 rant etiam inimici nunc eius λόγος ἐπιχειρη-
 ματικὸς & βιάος, & χριώδης. Eo patrono
 fiscum nemo unquam dicere potuit, lienem: ut lo-
 quebatur olim Traianus. in demortui locum suf-
 fectus est Ridens. Scis Oliuarium, re privatū esse:
 nomen duntaxat amplissimi magistratus (quem
 Cancellariū appellamus) retinere Bertrandū crea-
 tum sphragido phylaca: Magistrum, qui patronus
 erat Regius primū presidem: quartū, nescio quem.

Cum

Cum video ad ea gubernacula non vocari Memmium, sed quem virum? qui semper in maximis rebus publice versatus est summa cum dignitate, dico non de nihilo fuisse olim eam sententiam Theophrasto probatam, Vitam regit fortuna non sapientia. Nudiustertius supremo honore affectus est praeses Longolius. De illo nomine, quod Tolosae habes, saepe interpellavi debitorem tuum etiam acerbe. Sed ne teruncium quidem extorquere unquam potui. Bliteris iter faciens superiore aestate, ubi conuentus Tolosani peragebantur, Solerio tuo totum negotium tanto studio commendaui, ut non potuerim maiore. Apud me tibi saluum est aliquantum nummorum, quanti videlicet vendidi corpus iuris Civilis, quod mihi abiens reliqueras. Qui tibi salutem dicunt, hi sunt: Memmij fratres, qui me heri egrotum inuiserunt: gratumque mihi fecerunt. quos mirifice cupio αὐτὴν δεξιέεινδν: Bobusaeus mihi ὁμοδιαιτος: Vicinus, qui vicinum meo cubiculum habet. praeterea Columbinus tuus: qui aliquot dies hic fuit. Si me amas, quam primum ad me quam longissimas litteras mittito:

& quo

& quo usque Roma te retinebit, me certiore facito. vereor, ne istos conchyliatos tuis candidis Gallis anteponas. Si ita est, opto ut maior sit istic fames, quam esse scribis: quae te scilicet inuitum extrudat, nobisque incolumem reddat. Paene me fugerat, quod scribendum in primis fuisse arbitror. à Perionio editam esse audio orationem aduersus Petrum Aretinum. periculum est, ne, ut iam pridem principum, ita posthac & μὲν αὐτῶν flagellum esse & nominari velit lacepsitus, Aretinus. Vale. nonis Maijs, Lucretiae Parisiorum agrotans. Gamardus, qui interuenit, cum epistolam obsignare vellem, tibi salutem ut ascriberem suis verbis, rogauit.

D. LAMBIVS IOAN.

Maludano S. D.

Vellem litterae meae, quas tibi tam opportunè redditas esse scribis, eam vim habuissent, ut animum tuum aegritudine leuare possent. Nam cum suspicer ex animi maerore morbum istum corporis natum esse, existimo, eas aegritudine

A dine

dine absterfa ac depulfa, morbum quoque vna
 opera facile depulfuras fuiffe. de quo quidem valde
 fum follicitus, ac perturbatus. Venit enim mihi
 in mentem quàm fis imbecillo, atque inualido
 corpore: quàm infirmis, & ad vim morbi susti-
 nendam imparibus viribus. Itaque vereor ne vel
 succumbas, vel diuifus, quàm tuæ rationes, tuâq;
 studia ferant, ad lectum afflictus langueas. Una
 me res confolatur, & sustentat: tuæ continentia,
 prudentia, diligentia recordatio: quas virtutes fi
 ad recuperandam valetudinem amiffam adhi-
 bebis & conferes, magna me spes tenet, fore, vt
 breui tempore te tibi, nobisq; faluum & incolu-
 men reddas: quod omen approbent dij immorta-
 les. Te à Memmijs tuis magno animi dolore di-
 fceffiffe planè tibi credo. multum enim valent ad
 amicitias conglutinandas diuturnus conuictus, &
 longa confuetudo, & ftudiorum communitas ac
 focietas. Illud longè grauiiffimum tibi fuiffe arbi-
 tror. fpe excidiffe. Fortiter tu quidem, & præclare
 Homericum illud vrfurpas τέτλαθι, fed δεινὸν ἔ
 ὀφειλομένης ἀμοιβῆς ἀποτυχεῖν, & ἔ
 ἐλπίδος

ἐλπίδος ἀποσφάλλῃναι. eò igitur nobis reuer-
 tendum, eoq; confugiendum est (neque enim alia
 in rebus incommodis, atque aduerfis paratior ara
 reperiri potest) vt ea, quæ humano confilio corri-
 gere non poffumus, toleranter ac moderatè fera-
 mus. Sed hæc ad congressum noftrum referue-
 mus, quando tu in eo tantam fperem ponis. Supe-
 rioribus meis litteris fcripferam, credibile effe te
 fortè, ftrenuumq; effe iam in palatio & foro am-
 bulatorem. non me fefellit opinio. Quòd fi tibi, qua
 menfura ceteras facultates & virtutes ciuileis ac
 palatinas natura largita est, eadem menfura la-
 terum firmitatem, & confidentiam tribuiffet,
 propediem primum inter caufarum actores &
 patronos locum obtineres. Nunc & ego video, &
 tu experiris, quantum tibi obfit ifta laterum, vo-
 cisq; infirmitas, quantum pudor ingenuus, & ti-
 miditas homine libero digna. Veruntamen non
 tibi iccirco à fententia, aut confilio tuo defiften-
 dum est. Multos enim videmus fola probitate, fo-
 laq; doctrina fretos, ceteris ferè omnibus nature
 facultatibus deftitutos magnam in foro gloriam,

summas opes, amplissimos magistratus esse consecutos. Non longè abieris. Clemens Puteanus lateribus est nihilo te melioribus, voce infirma & tenui, corpore gracili & imbecillo, timidus & pudens, si quis alius: nihilominus tamen in principibus patronis hodie numeratur: domus eius ab ijs, qui litigant; quotidie frequentatur: nemo existimat se satis cautè fortunas suas iudicio commissurum, qui eum non antè consuluerit. Quæ res igitur eum extulerunt? assiduitas, diligentia, industria, probitas: quibus artibus ita instructus es, ut neminem tibi antepoñam, comparem paucos. Sed de his quoque melius coràm, & in congressu. Tantùm ne despera: neque tibi persuade impudentiam, & confidentiam, faciliorem ad honores, quàm pudorem & probitatem, munire viam. Non enim potest, nec solet virtus obscura, atque incognita diutius latère. Deprimunt eam quidem sæpenumero factiosi homines, omniaq; ad suam potentiam reuocantes, demergunt, relegant, exterminant. sed exurgit, atque emergit illa tandem: splendoremq; suum vel inuitis hominibus è lateribus

bris erutum profert in lucem, & in publico spectandum proponit: ab ijs denique, qui eam exegerant, eieceraut, atque oppugnarant, vltro arcessitur, appetitur, colitur. Itaque consilium tuum probo, qui in vrbe totius Gallie maxima, celeberrima, opulentissima, quam non immeritò quis ὀμπικῶς dixerit κωδικάειρα, aliquot annos commorari statueris. Nusquam enim vel rerum forensium vsum facilius consequi, vel actores causarum eloquentiores audire, vel tuarum vigiliarum, tuæq; industriae fructum vberiore ferre possis. De reditu nostro in Galliam nihil dum certi tibi meis litteris significare possum. Existimo tamen nos Septembri mense de Italia relinquenda cogitatuos. Gallandius orationem suam in Ratum misit ad me. nondum eam legi: quin ne hoc quidem à me impetrare potui, ut eam legendi gratia in manus sumerem: dicerem quam ob causam, nisi te, qui stomachi mei fastidium pulchrè nosti, tuâ sponte diuinaturum sperarem. De Turnebo cognoueram. Tumulos Reginae Navarr. nondum videram. De Mariliaco, factum male. Sed

quid agas? Omneis vna manet nox. De Olivario, facinus indignum. nemo bonus nō ingemuit. tantam'ne fuisse in principibus nostris siue ἀνοήτων, siue ἀσωμοσύνων, ut talem virū à rep. remouerent: istum alterum, (de quo, quid sentiant homines intelligentes, piget scribere) in eius locum substituerent? Planè χρύσεια χαλκείων. Memmium iacere, & tua & reip. causa doleo. Sed Theophrasti sententiam tamen non probo. Probet vulgus. nos autem à vulgo longè, lateq; remoti in omnibus vitæ partibus, ac muneribus consilium, & sapientiam adhibeamus: fortunæ nihil prorsus tribuamus. Nam tametsi non semper consilio sapienter capto respondet exitus, laudabile tamen est & iucundum viro bono, atque ex opinione multitudinis imperitæ non pendenti, rectè, prudenterq; sensisse, & in ijs etiam, quæ secus, quàm optandum erat, acciderint, consilio & rationi plus, quàm fortunæ, loci reliquisse. Quòd nomen Fontaugerianum Solerio tam diligenter commendaris, gratiam habeo. Mallem tamen ab illo lentissimo, atque impudentissimo inficiatore

ciatore nummos extorsisses. quod fecisses, si ore perfricto, atque improbo, planeq; ferreo hominem interpellasses. Sed quid mirum te in re aliena fuisse remissum, & τῆ δυσωπία locum dedisse, qui in tua, (in pecuniaria dico) plane sis negligens ac dissolutus? Nummulos, quos ex veditioe Pandectarum iuris civilis tibi ab emtore numeratos habes, Preuotio dabis. neque est quòd illum iubeas tibi cauere dominum rem ratam habiturum. Nam & pecunia pusilla est: & ego tibi fidem do neminem amplius abs te petiturum. Rerum Ro: status valde est non solum perturbatus, verum etiam instabilis, atque incertus: neque satis constat utrum sit pax hodiè, an bellum. Pontifex max. Iulius III. huius rei culpam sustinet: qui constitutum in animo non habet, utrum è duobus malit: nisi quòd ex ijs, quæ loquitur, parat, molitur, conycere licet, eum ad belli potius, quàm ad pacis studium incumbere. Sororis quidem filium Ioan. Baptistam cum imperio Bononiam misit, diciturq; ei mandasse, ut agrum Parmensem popularetur, diriperet, flammaq; & ferro vastaret.

Nonnulli hac lege pacem confirmatã esse aiunt, si Parma in ditionem ac potestatem Pontificis max. redigatur. Sed, qui sunt acutiores, existimant hanc pacem ne coagmentari quidem posse. Neque verò credibile est Gallorum Regem Farnesios supplices, atque in fidem receptos, deserturum, aut proditurum. Præterea perspicuum est Pontificem max. cum Carolo v. consentire, & cum eius legato Iacobo Mandossa, belli consilia communicare: à Gallis animum alienum habere. Quæ res facit, ut verendum sit, ne hoc sit consiliũ Pontificis Maximi Parmam Farnesijs adimere, & eam statim in Carolum transferre. Hoc enim oppidum valde est ei propter Placentiam, opportunum. Thermus legatus Regius a. d. tertium nonas Iun. Roma decessit, vir (ut scis) rei militaris peritissimus: quod est belli signum non obscurum. Cardinalis Turnonius quoque Roma proficisci cogitabat. sed eum Pontifex Maximus retinet, & vetat porta pedem efferre. sperat enim se, si forte belli fortunam tentarit, & postea malo demum accepto consilium ipsi suum displicere cœperit,

Turno

Turnonio præsentem & adiutorem, tolerabilibus conditionibus cum Rege pacem facturum: illo autem absente, & alienato à causa, veretur ne eò progredi necesse habeat, unde non facile regredi queat. Omnino ea video belli semina, ea principia, eiusmodi causas, tales utrinque animorum motus, ut, si semel exarserit, diuturnum sit futurum, latissimeq; manaturum. De Farnesijs autem quid sentiant homines, epistolæ committendum non puto: quam gratiam posthac Regi relaturi sint, non libet augurari. Cammagius dedit ad me litteras Bononia pridie Kal. Iunias. in eis scribebat se postridie discessurum, sperareq; Lugduni Kalend. Quint. futurum. eodem atramento, calamo, lychno ei rescripsi. Perionij orationem in Petrum Aretinum iam pridem legeramus, sed multo non sine risu. Quid enim magis ridiculum excogitari potest, quam hominem Benedictinum, philosophum, Ciceronianum, Theologum cum P. Aretino verbis decertare? Omnino suæ existimationi parum consuluisse iudicatur. Nam quòd arguit illum esse impurum, sceleratum, impium,

quid tūc postea? tales homines non verbis, aut scriptis castigandi. sed legibus, & pœnis sunt coercedi. Sed hac de re aliàs plura. Memmij, Turnebo, Aurato salutem. Vale, Romæ nonis Iunij anno CIO. IO. LI.

M. ANTONIVS MVRETVS

Dionysio Lambino Monstrolienti S. D.

Næ tu Mirificus homo es. Certò scio, atque hoc magis, ac magis in dies perspicio, & pœne oculis cerno, te rerum mearum, commodorumq; meorum studiosiorem, & cupidiorē esse, quàm meipsum. Quare peto abs te, ut tibi persuadeas, te in dies magis, ac magis mihi quodam modo vim asserre, ut te impensius diligam. Et, tametsi mihi iampridem videbatur meæ erga te benevolentia, meoq; in te studio asserre non posse incrementum dies: amorem meum tamen in horas augeri sentio. Sed hunc sermonem in aliud tempus reseruemus. Iamiam puerum mittam ad eum, qui ἐπιστάμινα præest, ut cum primum venerit ille (scis quem dicam) mihi significet. Uelim

lim Cardinalis tuus litteras ad alterum meo nomine det commendatitias. Si quid scribet, & cum scripserit, si compertum habueris, aut certè subodoratus fueris, quid scripserit, mihi gratissimū facies, si totam rem ad me rescribes sine fuco ac fallacijs more maiorum, aut, ut verius dicam, more tuo. De versibus, & epistola ne dubita. Nihil amplius habeo, quod scribam. Card. tuo verbis quàm honorificentissimis meo nomine salutem dicito, & toti eius cohorti. Nam singulos enumerare longum foret. quod me mones, ut obdurem, & permaneam in mea posteriore sententia: tu verò memorem mones. Ego compedes, ne aureas quidem, libens tulerim. scribam ad te ἀκριβέστατα, & λεπτομέρεστατα, quæ ego, & is, quem supra designavi, inter nos locuti erimus. Vale, Patavij pridie Nonas Febr. anno CIO. IO. LIIIX.

M. A. MVRETVS D. LAMBINO

S. D.

DE litteris tuis libero te metu: omnes mihi sunt reddita. Niketus venit. De sermone quem

quem vltro, citroq; habuimus, ἔδεν μυστηριώδες.
 Paucissimis verbis confecta tota res est. Ita eum a
 me dimisi, vt ipse quoque fateretur, nullā omnino
 in me herere culpam. id adeo ex ipsius ad Car-
 dinalem Ferrariensem litteris intelligere pote-
 ris, quæ ad te vnā cum his in eundem incluse
 fasciculum perferentur. Mi Lambine optime &
 amicissime, quæso te, quæ, quænam ego tandem
 verba reperiam, quibus communi hero nostro,
 amplissimo, atque ornatissimo Cardinali Turno-
 nio gratias agam? Adiuua me, si quid potes. nam
 ego quidem magnitudine beneficiorum ipsius in
 me obstupefactus, hæreo. Tantam fuisse in illo
 heroë humanitatem, vt, quod ego nunquam ne-
 que petere, neque sperare ausus essem, id ipse bis
 iam, primū apud triumuiros gymnasij Pata-
 uini, deinde apud Card. Ferrariensem suapte
 sponte fecerit? Itaque, ne viuam, si non dies, no-
 ctesq; cogito, quibus modis & me gratum osten-
 dere, & conseruare tam prolixam ipsius erga me
 voluntatem queam. Scribere ad eum vehemen-
 ter cupio. Sed mehercule tantum me ei debere sen-
 tio,

tio, vt verba mihi desint idonea. Veruntamen
 constitui scribere, idq; quàm primū. Interea mi
 Lambine, peto abs te, vt cures ne suam erga me,
 voluntatem immutet. Nam deum immortalē
 testor, si is me amare desinet, vitam mihi insua-
 uem futuram. Meas ad Card. Ferrariensem lit-
 teras, tibi mitto vulgari Italarum sermone scri-
 ptas propterea, quod Niketus mihi, vt ita face-
 rem, auctor fuit: vnā cum eis Niketi ad eum lit-
 teras in eundem fasciculum inclusi. Neutras obsi-
 gnare volui. volebā enim te vtrasque legere. Si tibi
 videbitur mea interesse illas Card. tuo & meo
 recitari, per me facias licet. Usus sum modica
 ὑπερβολή. Sed quid agas? Non possum eam
 meo ingenio vim afferre, vt non liberè quod sen-
 tio, scribam. Posteaquā vtrasque legeris, peto abs
 te, vt eas annulo tuo obignes, Florētinumq; roges,
 vt in fasciculum tui Cardinalis conijciat, &
 Ferrariam perferendas curet. Scribito ad me
 quàm sæpissimè tuo more. Ego rescribam meo.
 Vale, Patavij Idib. Febr. anno CIO. IO. LIIIX.

D. LAMBIVS M. ANTONIO

Mureto S. D.

Nihil erat, quod scriberem: sed te imitari volui, atque id ipsum scribendum esse existimaui. expecto tuam ad lectorem epistolam, & versus. tum de illo loco τὸν περὶ τῆς ἐπιτομῆς νόμου διαθεῖναι καλῶς, qui est fol. 68. & de nomine διατάξις, quod iam contentionem Latine reddideram, quid sentias. Nondum venerunt ab illo (tenes quem dicam) litteræ. Simul ut venerint, quid in eis scriptum fuerit, odorabor. sagacem me dices fuisse. Verum quid ad te? Nunc expeditus, nunc liberatus es. Nullus est illi de te querendi relictus locus. Iam verò de Franc. Turnonio Card. is te in ore, is te in oculis. Nunquam hic de litteris sermo habetur, quin continuo de te mentio fiat & honoris, & amoris plena. Omnes eius familiares & comites tibi omnia læta & secunda exoptant: teq̄, quia ad maiora natum existimant, tendiculis illis, & plagis, quibus captabaris, extricatum esse, magnopere letantur. Tuas ad illum acutissimas & prudentissimas litteras Cardinali

dinali meo recitavi. probavit. easdem paucis quibusdam (quos nosti) legendas dedi. Negant quicquam maiore consilio à quoquam fieri, aut scribi potuisse. gaudent te tuam libertatem ei homini non commisisse, qui, cum te primum cupide & honorifice arcessivisset, atque ultro appetivisset: deinde fastidiosè propemodum exclusisset: idem postea mutato iterum consilio revocavit. Præterita igitur omnia tibi ita pulchrè & honestè ceciderunt, ut nihil interuenire possit, quod tantam εὐτυχίαν conturbet. De futuris, quæ sunt τῶν ἡντιμῶν μύθῳ λύσει consecutura, dormito (si me audis) in utranque aurem. Dij immortales in te omnia naturæ bona contulerunt: fortuna te adiuvat, virtus tibi non deest, consilio abundas, ingenio præstas: tantum tibi ne ab invidis ac malevolis opprimare, magnopere cauendum est. quod hac una ratione facillimè assequeris, si neminem sciens læseris: si integrè, piè, temperanter vixeris: si denique totus teres, atque rotundus fueris, ne quid in tua vita criminis, atque adeò suspitionis herere possit. Hoc institutum si tenebis, nihil est,

est, quòd τῶν δυνατῶν τέτων πλεῖστον ἐνδεῆ, & τύχῳ ἀτυχῆ desideres. Quanquam cui hac scribo? nempe ei homini, qui quanti κίβδηλα τᾶῦτα, & παραχώδῃ εὐχυχήματα aestimet, re declararit. sed videto primum vt tibi constes: deinde vt Turnonij Card. qui te tuæ virtutis opinione incensus vnicè diligit, cohortatio purgatam crebrò tibi personet aurem. Nihil'ne præterea est, quod scribam? nihil, nisi quòd miratus sum, & miror etiam nunc, te, cum ego de Gallo quodam nuper ad te scripsissem, hoc est nostrate, ita mihi rescripsisse, vestratem hominem. Amabo te, non tu etiam Gallus es? Quid respondebis Lemouicibus ciuibus tuis ex Italia te reuocantibus, ac vendicantibus! Gallum te esse negabis! Romanum, aut Venetum, aut Patavinum esse dices! Audio. duarum ciuitatum esse iure civili posse esse neminem, & statim, vt quis in aliam ciuitatem receptus sit, illius ciuitatis, cui se dicarit, ciuem esse, scio. Sed quando ciuis Romanus, aut Venetus factus es! Quòd si neque Romanus, neque Venetus, neque alius ciuitatis ciuis es, relinquatur, vt

aut

aut nullius, aut eius ciuitatis sis, quæ te suscepit, quæ edidit, quæ aluit, quæ instituit, quæ denique talem, qualem nunc admirantur extera nationes, perfecit, ac perpoliuit. Dices te nullo tuo merito ab ingratis Gallis esse è patriæ finibus eiectum, atque expulsam. Non est ita, mi Murete. Non enim, si pœnam legibus ijs, contra quas nihil (vt ego quidem arbitror) commiseras, constitutam, voluntario exilio declinare, quam inimicis tuis iugulum præbere maluisti: non si certorum hominum tuæ præstantiæ, & gloriæ inuidientium consilijs occultis, & insidiosis cedere, quàm vitam tuam præcipiti, & turbulento iudicio committere, tutius esse duxisti, iccirco exul es. Exules sunt facinorosi homines, flagitiosi, scelerati, sicarij, venefici, impuri, impij: Te, quem olim Galli litteris dediti præsentem attentissimis, atque auidissimis auribus audierunt: nunc absentem sollicitis animis desiderant, & calamitate leuatum volunt: quem Veneti per quadriennium, modestissimum, continentissimum, integerrimum, religiosissimum, innocentissimum cognouerunt: quem principes,

B

& pont

& pontifices secum vivere, sibiq; contubernalem
 esse cupiunt: cuius litteris, sermone, congressu de-
 lectantur: cuius doctrinam cum singulari elo-
 quentia coniunctam admirantur: quem incre-
 dibili amore complectuntur, quis exulem appella-
 bit! Dices hæc præclare, & magnificè dici: te
 intereà tamen patria carere. Atqui aliud est ca-
 rere, aliud perpetuò carendum esse. Non dico hoc
 temere. Audiui cum diceret Franc. Turnonius
 Card. sese pro sua erga te benevolentia, habere in
 animo, omni studio elaborare, ut tibi pateat in
 Galliam reditus: idq; ut obtineas & cum Rege,
 & cum Pontifice Maximo Pio IIII. diligen-
 ter acturum: utriusque autem auctoritate in hac
 causa vsurū, ut tu non solum pœna, verum etiam
 culpa, si quid forte abs te peccatum est, liberatus,
 in Gallia nostra reliquam ætatem agere possis.
 Itaque nisi tibi deesse voles: nisi patriam tuam
 tibi ultro dextram porrigentem, complectiq; cu-
 pientem aspernabere, magnam te video & eius
 recuperanda, & viuendi cum tuis facultatem esse
 habiturum. Atque hac de re ego, Villarius, &
 Sandr

Sandrinus nudius tertius accuratè locuti sumus.
 quem sermonem tibi totum perscriberem, nisi ad
 congressum nostrum potius reseruandum esse exci-
 stimarem. Fuit enim in te & honorificus & amo-
 ris plenus. Cum igitur hæc ita sint (fui enim lon-
 gior, quàm debui, atque adeò, quàm volui) velim
 mihi quamprimùm respondeas, quamobrem, cum
 ad me scriberes, Gallum hominem vestratem po-
 tius, quàm nostratam dixeris. Vale a. d. x.
 Kalend. Mart. in Corneliano.

M. A. MVRETVS D. LAM-
 bino S. D.

Respondebo ijs potissimùm tuarum littera-
 rum capitibus, quæ mihi videntur maxi-
 mè responsionem flagitare. Vestratem hominem
 eò dixerā, quia tu, & ille Belgæ estis. Nam quod
 ad Galliam attinet, ego & Gallus sum, & me
 quandiu viuam, Gallum profitebor. sed gaudeo te
 id quod scripseram, in eam partem accepisse, &
 occasionem hinc tibi natam esse scribendi ad me
 de honorificis, & amicis sermonibus, quos tu, Vil-
 larius,

larius, & Sandrinus de me habuistis. Ego quidem neque illis, neque tibi gratias agere debeo, ne pro salute ipsa, cuius mihi vel parienda, vel restituenda à vobis consilia capiuntur, vili munere defungi velle videar orationis. Vulgaribus & vilitatis beneficijs gratiarum actio debetur: hoc, quo maius homo ab homine accipere nullum potest, ὡς δαμόνιον τι, silentio potius est & cogitatione venerandum. Sed quòd meam super ea re sententiam requiris, dicam. ἐγὼ αὖ μὴ τῷ ἐπανέρχου ἐς τὴν πατρίδα εἶδεν ὡς ποτὶς, ὡς ἔπος εἶπεν, ἐφρόνισα, & αὐτὸ πλὴν ἐπάνουδου ἔπειτα πολλὰ ποιῆσαι, πλὴν ἐμὴν τύχην αἰσχυρὸς μὲν τῷ τῷ κωμικῷ, Παπυρίσ γὰρ ἐστὶ πᾶσι ἢ ἂν περὶ αὐτῆς τις εἴη. & μὴν εἶπω τὴν ψυχὴν διακείμενος τὴν τῷ ἐπανέρχου δύναμιν, ἐν μοι τῶν ἐν τῷ βίῳ ποθεινοτάτων εἶναι νομίζω. ac, quod, si liceret, nunquam tamen fortasse facerem, id non licere, vix satis equo animo fero. Ego autem constitutum in animo habebam annos aliquot expectare πρὶν τῷ τὰ τοιαῦτα κινῆναι, atq; eniti, ut mea bona existimatio, & fama bonorum
mibi

mibi ad hanc rem adiumento esset. Veruntamen tuo iudicio rem omnem permitto. Interea velim ex te audiat P. Villarius, quantum ego, & mihi conscius sim, & profitear me sibi debere, quamq; beatum me futurum putem, si mihi aliquando referendae gratiae potestas detur. Eum igitur, & Iannoctium, & Laureum, & Torodem meis verbis saluere iubeas velim. Vale mi Lambine omnium meorum amicorum amicissime. Patavij, a. d. VII. Kal. Mart.

M. A. MVRETVS D. LAMBINO S. D.

Tuas litteras hodie accepi. meas puto heri à prandio tibi fuisse redditas cum ijs quas ad Rufillum dabam. Videor mihi tuis omnibus respondiisse saltem ad ea capita, quae responsione aliqua indigere videbantur: nisi quòd non satis commemini, scripserim, nec ne αὖ διάταξως, quam contentionem interpretaris, lib. nono de morib. ad Nicom. quo de nomine, cum me in omnes partes cogitatione conuerterim, nihil potui
B 3 reper

reperire melius tuo. Nam de illo loco qui est in extremo decimo, ὄν τινα ἔ ἐν περὶ θεῶν, potest ne cuiquam (Perionium semper excipio: de quo ita sentio, nihil posse esse tam absurdum, quod non ei interdum & veniat in mentem, & probeatur) Sed potest ne cuiquam dubium esse, quin ita intelligendus sit, ut tu censes? Quin Argropylos quoque & Aretinus à te faciunt. Diuus Thomas autem more suo fecit, ut ex interpretatione neque bona, neque vera, bonam tamen & veram sententiam eliceret. itaque eum quoque habes à stipulatorem. De his hæcenus. Litteras Cardinalis Ferr. ad me, & Sandrini ad te, cum tuis accepi. Utrasque remitto. eas, quas princeps ille clarissimus mittit ad me, leges: & lectas remittes, ut easdem considerem per ocium, & rescribam. Quicquid consilij cepero, tu primus eris particeps, & conscius, quemadmodum amicitia nostra postulat: ex qua equidem maiorem in dies & fructum, & suavitatem percipio. Simul atque remiseris, (quod cras fiet, aut perendie) aggrediar ad rescribendum. simulq; de eodem oleo, & opera scrib

scribam aliquid ad communem herum nostram: Cardinalem Turnonium. Sed te mihi adiutorem esse necesse est in re leui & pusilla, quam tamen ipse per me non satis commodè explicare possim: id est, in litterarum inscriptione. Nickerus cum ad Card. Ferr. Gallico sermone scriberet, in inscriptione suarum nihil præter vocem domini iteratam ad nomina illa solennia & necessaria. Card. Ferr. adiunxit: eius ne exemplum sequi debeo: an magna illa verba adhibere Italis vsitata REVERENDISS. ILLUSTRISS? Inepta hæc ἔ πορὶ τὰ esse intelligo: sed tamen ne in his quidem minimis rebus rusticus videri velim. Vale. Patavij a. d. v. Kal. Martias.

M. A. MVRETUS D. LAMBINO S. D.

Tuas omnes litteras accepi: hoc primum sequitur nunc, ut ad eas respondeam. Quando vir clariss. Card. Turnonius præcisè, & sine ulla exceptione iubet, ut dedam me Hippolyto Estensi Card. Ferrariensi, geram ei morè σου θεῶ.

B 4 hoc

hoc enim tibi persuasum habet, mi Lambine, Cardinalis Turnonij voluntatem mihi, quandiu vivam, instar Helicæ, aut Cynosuræ cuiusdam futuram, ad quam totus consiliorum meorum cursus dirigatur. Quod imperabit ille, si modò in mea potestate erit firmum, faciam, quoquo modo poterò. Quin etiam si mihi ea imperet, quæ facultatem habere non videantur, ea tamen efficere conabor non perficiendi spe, sed obtemperandi voluntate. Hoc certum, hoc deliberatum, hoc fixum est. Hac de re ego ad eum triduo, aut quattriduo scribam: simulq; ad Cardinalē Ferrariensem litteras dabo. Hoc ipso die scripsissem: verum extra occupationes, quibus districtus sum, ita me Deus amet, ut cum ad hos populi primores scribendum est, nihil mihi venit in mentem, quod scribam, nisi diu, multumq; meditato. Interea pro me spondebis, ac recipies Cardinali tuo, me, quod vult, facturum. tum tu pristinam tuam erga me voluntatem retinebis. De obligatione illa altera noli laborare. Mecum erit iste labor. Fata viam inveniēt. Atque etiam confido me eis satisfacturum, qui videan

videantur de me iure queri posse. Mittas ad me velim epistolam illam Gallicam, in qua de me fit mentio. Nihil præterea video in tuis litteris, quod responsionem desideret. Amo te immensum quantum: teq; orarem, ut paria redderes, nisi exploratum haberem te tua sponte facere. salutem omnibus meo nomine: sed in primis P. Villario. Quid sibi vult autem tam subitus, atque inopinatus vester ex Italia discessus? Iocone, an seriò ista scripsisti? Si quid est τῶν ἀπορήτων, taceo: sin, fac ut sciam. Vale Patavij. Pridie Kal. Mart.

M V R E T V S L A M B I N O
S. D.

Iam scripseram ad liberos Valgrisij, cum allatæ mihi sunt tuæ litteræ. Itaque etsi valde sperabam, meis precibus nihil opus fore, tamen, quòd erant iam scriptæ litteræ, mittendas censi: idq; feci. Assuefieri paulatim aures tuas, quasiq; occallescere, gaudeo. Manutius heri ad me scripsit, si quid mutare vellem in notis illis meis ad Terentium, aut ad eas aliquid addere, ut primo quo-

B S que

que tempore facerem. se de eis denuo propediem excudendis cogitare. Denuncio igitur tibi, si quid adiuuare in ea re me potes, (potes autem plurimum) ut facias. Alliano nostro, quem talem tibi videri, qualis mihi semper visus est, id est optimum, ac modestissimum virum, imprimisq; Φιλόφιλον, immortaliter gaudeo. ei igitur plurimum meo nomine salutis imperties. Vale amicorum meorum optime, & integerrime. Id. Mart. Patavio.

M V R E T V S L A M B I N O

S. D.

Sciebam, me illud de irritandi verbo alicubi slegisse: sed nolebam obstinate contendere, nisi locum etiam ipsum indicare possem. hodie reperi. est autem in ijs, quae notauit Pierius in librum decimum Virgilij, his verbis: Irritatq; virum telis. Impressi codices omnes, irritat, geminato r scribunt: sonet ut de nare canina littera. Ir-r-ito tamen ab ira est. Haec Pierius. Sed tamen scrupulus adhuc aliquis meo in animo insidet:
prop

propter verbum, Prorito. ne forte ambo ex eodem fonte fluxerint. Tu cogitabis. Sed amabo, quid tibi venit in mentem, ut iuberis, à me concerpi, quae in notis illis tuis Terentianis minus probarem? Ego verò omnia ita approbo, ut nihil supra. itaque, quae ad meum institutum pertinebunt, ijs utar: cetera ad usum meum asseruabo, idq; ἐν κἀμν-λοις. Cucuronis nostri munusculum mihi longè incundissimum fuit: idq; velim abs te ei omni asseueratione affirmari. profectò quibuscunque locis putabo testimonio meo, ac praedicatione aliquid ipsius nomini celebritatis afferi posse, non deero. ita enim eum in arte illa, cui se dedit, excellere video, ut sit cum ijs, qui principes habentur, meo quidem iudicio conferendus. De viginti quattuor illis librorum tuorum exemplis noli laborare. ego rem, cum tu voles, confecero: idq; ad me recipio. in his litteris aliena, ut vides manu usus sum: quòd recenti à prandio ne scriptio mihi non satis firmo obsesset, verebar. Saluta mihi communes amicos, & Vale, Idib. Apr. Patavio.

M V R E T

M V R E T V S L A M B I N O
S. D.

Quod ad te rarius scribo, quam aut tu cuperes, aut amicitia nostra fert: peto à te, ne id potius negligentia, quam negociorum, quibus assidue premor, multitudini ascribas: nam illud non puto petendum esse, ut ne quid propterea de amore erga te meo imminutum putes. ego enim si quicquam tale suspicarer, mihi crede, istuc accurrerem, tibiq; modis omnibus probare conarer, te mihi ita carum esse, ut vix ipse tibi sis carior. quare noli, si quid unquam de te bene merui, si me mihi carum vivere cupis, si me saluum vis denique, noli deponere eam voluntatem, quam erga me iampridem suscepisti. ego te eximie amare, ita uti tua eximia virtus promeretur, non desinam, nisi ipsemet amare me desinam: quod tuus Aristoteles ait esse τῶν ἀδυνάτων. Propediem mittam ad te Catullum, Tibullum, & Propertium cum scholijs quibusdam meis: in quibus est aliquot locis facta tui mentio. Sed amice magne noli quicquam elimatam, aut
elab

elaboratum expectare. omnia vulgaria ac protrita, & à Decimo Lelio, non à Persio, legi digna. quæ tamen tu, qualiacunque sunt, quia nostra sunt, probabis, & non inuitus leges. Vale. Illustrissimo Cardinali si meo nomine salutem dixeris, erit gratissimum. Villarum item, Laureum, Torodem, cereros mihi diligenter saluta. Donatum Iannoctium nuper vidi Patavij. nam hæc scripsi Venetijs in taberna quadam libraria, cum hodie Patavio venissem, hodie Patavium cogitarem. Iterum vale κεφαλή μοι προσφιλέστατη. id.
Quinctil. CIO. IO. LVIII.

M V R E T V S L A M B I N O
S. D.

Petrum Paganum, quibus apud te laudibus ornauerim, scis: quamq; diligenter & accurate tecum egerim, ut eum in amicitiam tuam reciperes, hominemq; & probum, & eruditum, & perstudiosum tui toto pectore complecterere. Eius ego nunc ex ædibus hæc ad te scribo: teq; verbis ipsius rogo, si quando erit tibi hac iter, ut
eum

eum tibi inuisendum, salutandum: etiam, si videbitur, domo ipsius aequè atque si tua esset, tibi utendum putes. Mihi crede, cognosces hominem tua amicitia dignum. Nunc cum ex ipso audierim, fore, ut die crastino Hieronymus Amaltheus, ad suos rediens, hac transeat: cumq̄ ita ferat itineris ratio, ut Corneliano quoque eum iter facere oporteat: putavi obiectam esse mihi occasionem, qua tibi, qua vobis omnibus, ac imprimis ipsi amplissimo atque illustrissimo Cardinali rem gratissimam facerem. Hic ille Amaltheus est, quem tibi affirmavi, magisq̄ ac magis affirmo, omnium, qui hodie vivunt, Italarum, quos ego quidem nouerim, praestantissimum poetam esse: eundemq̄ medicum ἰατρὸν τυχεύων, immò, ut ille ait, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Velim, patefacias ei aditum ad Cardinalem: nam & ille non vulgari se honore à te affectum intelliget, si, productus à te possit ei κατὰ φιλεῖν τὰς χεῖρας: (agnoscis castrense verbum) & nisi me valde fallit animus, Cardinalis ipse magnam ex eius sermonibus percipiet voluptatem. Id autem ut faci-

lius

lius fieret, has ad te literas scripsi, quæ Amaltheo darentur, ut eas ipse perferret. Sed cœnandum est. Vale. Taruisij IV. Kal. Decemb.

DIONYSIUS LAMBINUS M. A.

Mureto S. D.

Pontifex Vesontionensis, qui Patavium (ut scis) non ita pridem se contulit, ut iuris civilis, & Philosophiæ, & litterarum humanarum doctoribus operam daret: nudiusquartus venit in Cornelianum, Francisci Turnonij Cardinalis salutandi, & inuisendi gratia. Erat in eius comitatu theologus quidam notus mihi nomine tantum Gilbertus Cosinus. is non ita longo, postquam in cubiculum Cardinalis cum Pontifice introiuit, tempore, me requisivit, ut videret. Inambulabam tum fortè hora diei decima sub dio, quæ densissimis diffusa ramis arbores locum ab arbitris remotum, ac liberum opacabant. Comes erat nullus, præter unum libellum, quem mecum tuleram, ut, si forte deficeret me, quod inter ambulandum animo agitarem, lectiuncula me oblectarem. Ali-

quot

quot iam spatia confeceram nescio quid meditans
nugarum, totus in illis, cum puer currens nunciat
mihi, Pontificem Vesontionensem venisse: quen-
dam esse ex eius comitibus, qui me salutare, &
conuenire vellet: Quod si in cubiculo meo fui-
sem, ultro ad me venturum fuisse. Quibus auditis
puerum ad eum præcurrere iubeo, eiq; renuncia-
re, me in propinquo saltu ambulare, & mox af-
futurum. Ita præmissum puerum è vestigio con-
secutus sum. Cosinus autem, simulatque audiuit de
meo, ubi essem, properanti mihi venit ipse quoque
cupide obuiam. Cum in congressum venissemus,
post illa, quæ ἐν τῆ ἀπανθήσει dici solent: pri-
mum multa ille de me, more hoc insulso, in os, &
coram: quæ ego (nosti enim me πρὸς πᾶσαν κο-
λακίαν δύσκολόν τε, & ἀντίτυπον ὄντα) per-
inuitus, & pœnè dicam, recalcitrans audiui: dein-
de non pauca de Genua, Robertello, Fallopio, &
ceteris. De te percunctans tandem, & ῥήξας
Φωνῆν (longum enim erat de alijs dicenti aures
tam patientes, & facileis præbere: de te autem ab
eo, qui Patauio recens veniret, nihil audire:) Sed

Mcuretus

Mcuretus noster (inquam) quid agit? ut valet? ni-
hil' ne noui scribit, quod alios delectet, ipsum lau-
dibus æternis illustret? Ille verò, inquit, Patauio
dies aliquot absfuit: quam ab causam, nescio: nisi
quod Patauij disseminatus est ab inuidis (opinor)
hominibus rumor de eo non bellus. Itaque nobiles
aliquot adolescentes Veneti prudentes, & boni, qui
cum eo viuebant, recepisse se ad suos dicuntur.
Mcuretus autem, cum paucis post diebus illos con-
secutus esset, hoc consilio, ut se purgaret: atque ali-
quantum temporis, dum rumor ille deferuesceret,
Venetis consedisset: Patauium redijt tristis ac
demissus. diciturq; prioribus ædibus, in quibus la-
xissime habitabat, relictis, alias angustiores con-
duxisse. Hæc cum audissem, valdeq; ea auditione
perturbatus, & propemodum exanimatus obstu-
pui, & vix tandem me collegissem: quæsiui,
certone sciret, tuos abs te discessisse. negauit ille se
certo scire. eorum, quæ diceret, rumorem sibi esse
nuncium, prætereà neminem. hoc unum se explo-
ratum habere, te Venetias profectum esse: ibiq;
dies aliquot constitisse: deinde Patauium reuer-

c

sum

sum esse: ades tuas non ea, qua antè, frequentia celebrari. Hæc mihi theologus ille. quæ me planè perculerunt, atque afflixerunt: neque extollar, aut recreabor prius, quàm ex tuis litteris, quid acciderit noui, cognouero. Quamobrem, si me amas, fac ut de toto hoc rumore diligenter ad me scribas: ut, si verus sit (quod dii immortales omen auertant) nos subueniamus: si falsus (quod spero & opto) cura, metuq̄ liberemur, & gaudeamus, & tibi gratulemur. Scis quanti te Fr. Turnonius Card. quanti te faciamus. meministi, commendationem nostram tibi ad amicitiam & gratiam Cardinalis colligendam magno adiumento fuisse. Si ea de te audiet, quæ nos rubore perfundant, quid nobis miserius? Non enim iam nobis erit integrum Horatio obtemperare illa præcipienti & monenti, Qualem commendes etiam atque etiam aspice, ne mox Incutiant. tenes cetera. Piget me plura hæc de re scribere. Vehementer sollicitus sum: valde hoc nuncio territus. Tu, ut primo quoque tempore mihi metum, in quo nunc versor, adimas, videto. Significavi tibi alijs litteris, me li-

bros

bros de moribus ad Nicom. à me cōuersos Lutetiam misisse, ut ibi de integro, & quidem emendatiores, quàm Venetijs, excudantur: certior enim etiam te feci de theologorum Parisiensium seueritate, seu potius (non enim puto hæc Theologis curæ fuisse) inimicorum & inuidorum tuorum acerbitate, qui nomen tuum è libris meis tolli iusserunt. Vale. pridie Idus Sext. CIO. IO. LIIIX. in Corneliano.

M V R E T V S L A M B I N O
S. D.

Primùm de ijs, quæ istuc allata sunt: metu omni te libero. Ego Patauio pedem nõ moui: nisi quòd nuper negociorum caussa Venetias profectus sum. Mei omnes adhuc mecum sunt: nisi quod tres, cum febre correpti essent, ad suos se contulerunt: ut ibi melius curarentur. Næ ego, mi Lambine, singulari quodam sum ad inuidiam facto. nam quid mirum est, istuc peruenisse falsos quosdam de me rumusculos, cum Venetijs, hoc est, in ea vrbe, in qua, hæc quàm vana essent, oculis

C 2 videri

videri poterat, eadem illa, quæ istuc allata esse scribis, disseminata sint? De libro tuo, nodus est ad soluendum difficilis. dabitur enim magna occasio hominibus quærendi quid acciderit: ut satius fuerit me nunquam initio inseri, quam nunc euelli. Tu cogitabis. Catulli exemplaria duo, antequam Venetijs discederem, curavi danda Donato Iannotio: quorum vnum, mea causa, sibi asseruaret, alterum ad te ferret. Itaque miror, quid factum sit. Litteræ illæ tuæ superiores ad me non perueniunt. posthac cum ad me voles scribere, nihil potius, quam ut ad Caualcantem mittas. Equidem valde conturbatus sum: ac parum abest, quin cogitem in aliquas solas terras, vbi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. Eius autem rei mihi sese offert occasio sane luculenta. sunt enim, qui me honestissimo stipendio, in Græciam conentur abducere. Quid enim faciam, qui neminem ledens omnibus omnium inuidorum, ac maleuolorum dentibus petor? Vita me prope ipsius odium capit. Tu bene vale, ne ego deterius etiam valeam, si tecum minus belle agatur. Cardinalis
saltem

saltem Turnonius, columnen meum, ne me amare desinat, tu cum Villario, Donato, Laureo, Torode, ceteris, quantum in vobis est, præstate. Litteras tuas valde expecto. Patavij v. i. Kal. Sept. quo ipso die tuas litteras acceperam, quæ tamen à te data erant Prid. Id. Sextileis.

D. LAMBIVS MVRETO

S. D.

POSTRIDIE quam tabellarius Cardinalis Turnonij Venetias ire solet, tuas postremas litteras accepi. Itaque eis non potui citius, quam hodierno die respondere, nisi vellem meas incertis hominibus committere. De rumore illo, scito me magno metu, magna cura, magna denique animi molestia tuis litteris esse liberatum. Di male faciant istis talium sermonum, qui ad alterius estimationem ledendam valent, artificibus. Atqui, vide quam sis incautus: immo verò, quam credulus, & ἐνύθης. Is, qui mihi primus hanc fabulam narrauit, dicebat se eam Patavij è quodam, qui te quotidie inuisere solet, & quo tu familiarissimè

uti consueuisti, accepisse : nomen se negabat scire.
 Tantum in Mediomatricum finibus natum esse
 dicebat : eumq; sic mihi describebat : breui collo,
 capite obstipo, rufo capillo, sparso ore, caesis oculis,
 naribus amplis, atque obrusis. Huic homini, si sa-
 pis, caue quicquam posthac credas : qui tibi domi-
 tuæ blanditur, foris obtrectat : fronte, & vultu
 amici speciem præ se fert, consilio & voluntate
 inimicus est: verbo & sermone liberalis, humanus,
 & officiosus est: re, & factis illiberalis, inhumanus,
 & capitalis est: cuius denique blanditiæ insidiosa,
 oratio infidelis, congressus pestilens, & perniciosus.
 Is quidem, quod in eo fuit, te propemodum percu-
 lit, atque euertit. Quod nisi tua innocentia, inte-
 gritas, veritas denique tibi maturè subuenissent,
 periculum erat, ne macula sempiterna tuo in no-
 mine, tuaq; in fama hæreret. Nunc autem tot
 clarissimorum, & grauissimorum virorum, qui-
 bus tu notissimus & carissimus es, testimonio con-
 uictis, atque compressis inuidorum tuorum obtre-
 ctationibus, falsisq; criminationibus, tua viui qui-
 dem vox, oratio, consuetudo præstantibus & prin-
 cipibus

cipibus in repub. viris erit optabilis & iucunda:
 mortui verò gloria crescet, & vigebit memoria
 hominum sempiterna. De libro, quid futurum
 sit, nescio. scripsi quidem ad eos, qui Lutetia ne-
 gocia mea gerunt, ne patiantur excudi potius,
 quàm tanta iniuria tibi inferatur. Unum vereor,
 ne, quo tempore meæ litteræ ad eos peruenient, res
 iam non sit integra. quod si accidet, quid consilij
 capiendum censes? aut quo modo, quod erit ab
 illis inceptum, reuocari, & corrigi: quod factum,
 infectum esse poterit? scis hoc belli tempore, cum ex
 Italia longo flexu, longoq; circuitu per Rhætos, &
 Uindelicos itur in Galliã, litteras Roma vix vice-
 simo die Lutetiam peruenire: ut omittam sexcen-
 tos casus, qui in tam longo itinere nec opinatò in-
 teruenire possunt. Omnino res difficilis, ut scribis:
 eoq; difficilior, quo minus loci consilio relictum est.
 De inuidis, dubium istuc quidem non est, quin ab
 hoc genere acriter oppugneris. Sed quid tum
 postea? num tibi iccirco aut Italia altera tua pa-
 tria relinquenda est: aut in peregrinas terras co-
 gitandum? Quasi verò locus ullus sit in orbe ter-

rarum, quem quidem homines incolant ab inuidis purus & vacuus. Nam quod scribis parum abesse, quin solas terras cogites, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audias: consilium tuum laudarem, nisi homo natus esses, non fera: aut si in solitudine homo humanitate politus vitam agere posset. Multa nobis in hac vita, Murete, natura commoda: multa incommoda proposuit. multa nos suauia & iucunda in vita retinent, multa perpeffu aspera, atque acerba vitam odiosam, amararam, atque insuauem reddunt. Sed sapientis est, cum his incommodis, tot huius lucis opportunitates & commoditates compensantem, & comparantem, vitæ dulcedine, dum licet, frui: quæ in ea sunt aliquanto amariora, animi æquitate condire. Dum hominum genus erit, inuidia præstantissimum quenque insequetur & petet. quam vna ratione facillimè placabis, si te inertie, desidieq; virtute relicta, dedideris: hoc est, si contemni, & latere, quàm in pretio esse, & excellere malueris. quod te facturum non puto. Noui enim tuos ad virtutem, & veram laudem impetus. Quod si
mutare

mutare consilium velles, tibi tamen non liceret. Non enim tibi iam integrum est, tot scriptis, tanquam tuæ constantie obsidibus implicato, atque irretito, totas vitæ tuæ rationes cõturbare, nouamq; ac longe dissimilem viuendi viam inire. Reliquum igitur est, vt, quem à puero vitæ cursum instituisti, eum constantissimè tenere perseueres: vitæ integritate, innocentia, continentia, pietate, inuidorum morsus & criminationes, quoad eius fieri queat, debilites: clarorum, potentiumq; virorum amicitia, opibus, auctoritate tuum ocium sustentens, tuas fortunas augeas, tuum caput tegas, tuam vitam munias. Vale, a. d. xv. Kal. Sept.

MURETVS LAMBINO

S. D.

Mhi iratus es, scio: & quidem meritò. nihil enim totos hos duos menses ad te scripsi. Verùm si scias, quàm fuerim occupatus, tantisper dum Venetijs fui, non in libris meis Variarum Lect. describendis: sed in ambulationibus, seu potius in traiectionibus Venetijs, in salu-

c s tation

tationibus obeundis, in ceteris officijs præstandis, quibus me hi iuvenes patricij districtum tenuerunt, tum te mihi æquum, placarumq; præbeas. dices me ex meis necessarijs occupationibus semihoram suffurari, eamq; in scribendo insumere potuisse. Quid tibi respondeam vis? Dixi me pigrum proficiscenti tibi: dixi Talibus officijs propè mancum. Fateor me omnium popularium, & tribulium meorum esse pigerrimum, maxime in scribendis epistolis. Quid tum? animi hic morbus est. Præclara verò laude dignus sit, qui amicos suos amare desinat tum, cum egrotent. Non continuo, si non scripsi, te amare, de te dies, noctesq; cogitare, de te loqui, de te scribere destiti. In eo duntaxat peccavi, quod, cum essem plurimis, & necessarijs negocijs impeditus, & cum mihi scribendi deesset argumentum, præter hæc communia, & vulgaria, me valere, tuum esse, tibi perbene cupere, & similia, quibus apud nos tali necessitudine conunctos, nihil loci debet esse, dies aliquot scriptionem, & missionem litterarum solitam intermisi. In summa, si cui culpæ sum affinis, ignoscito:

sin

sin culpa, vaco irasci desinito. Sed hæc missa faciamus. Mitto ad te vnum è libris meis Var. lect. Peto abs te, vt errata librariorum corrigas, quomodo vides in eo, quem ad Fr. Turnoniũ Card. misi, esse correcta. Sublatis illorum mendis, mea tolles, & de ijs me admonebis, quemadmodum amicitia nostra postulat. Turnonij Cardinalis mentionem feci cap. I. lib. VIII. tui, locis tribus, vt legendo cognosces. Plura exempla misissem, quæ distribuerentur Villariorum, Iannotio, Laureo, Torodi. sed sudasset gerulus, præsertim his diebus æstiuis, quibus rubra Canicula findit Infanteis statuas. alioqui eiusmodi sunt mei libri, vt vnus vni loco sit satis; superq;. Si quis è vestra cohorte pransus horam legendo perdere volet, tuum ei commodabis. Præterea hoc tempore frigidum aliquid quærendum & prouidendum est ad hos calores tam acreis leniendos: & ego in meis libris suspicor pleraque ita frigida visum iri, vt vel istas aquas quantumuis calidas refrigerare possint. Sed, quando in aquarum mentionem incidi, tibi ne profuerunt aquæ istæ Lucenses, quibus te dies aliquot

quot

quot usum esse audio? Quo (malum) consilio, aut qua spe, cum valeres, tot aquarum cyathos hauristi? quasi verò vinum, praesertim refrigeratum, hoc tempore non sit & melius, & salubrius. Veruntamen, si bene cessit, ut spero, & cupio, gratulor. Defessus sum scribendo, non tu etiam legendo? Vale mi Lambine amicorum meorum prime, & me ama: tibiq; persuade te mihi in animo insculptum esse. Non audeo te orare, ut mihi rescribas culpæ meæ conscius. Verum si tua sponte feceris, tanto humanius, atque amicius feceris. Cucuroni primum salutem: deinde dices me iam iam ei propinare hoc vini albi liquidissimi, & optimi poculum: quod quidem vinum ego nunc in hoc cyatho vitreo video trepidare, & flamma vibrantis in morem micare. Ego te quoque ad combibendum invitarem: sed utrum sis etiam nunc δὲ τροπῆς τις, & ὕδωρ πικρῶν, an ad victum pristinum redieris, nescio. Iterum Vale, Ferr. a. d.

XIII. Kal. Sext. anno

CIO. IO. LIX.

LAMB

LAMBINVS MVRETO

S. D.

EXcusationem tuam, cur tandiu nihil ad me scripseris, accipio. itaque iam non sum iratus. Librum unum Var. Lect. Cardinali dedi: alterum mihi seruo, gratiamq; habeo. librarium menda, quemadmodum tu praescripseras, sustuli. tua, quæ me corrigere voluisti iocans (sic enim interpretor) nulla reperi. paucos tantum locos notavi, in quibus abs te dissentio. Sed est, quod tecum exoptulem. Miror te, cum scires me commentarios in Horatium iam pridem scripsisse, & propediem in lucem proferre, atque edere cogitare: cumq; adeò pleraque in eis partim meo rogatu, partim tua sponte legisses: amicitiam nostram: age, mitto amicitiam: humanitatem, æquitatem, omnium consuetudinem usque adeò neglexisse, ac parvi fecisse: ut mihi meas vindemiolas præripere, mearumq; vigiliarum fructum præcerpere conareris. Nondum queror de ijs, quæ à me scripta, & tractata, & occupata tu tibi in tuis libris ὡλεονετικῶς vendicasti. Est ne ho-

minis

minis politi, & communem hominum societatem sanctam, & inuiolatam tueri cupientis, partis alienas sibi vltro arrogare, & vendicare? Libros Variarum lectionum scribere cogitabas. Quam multi sunt alij veteres scriptores, è quorum interpretatione & explicatione libros tuos ita concinnare poteras, vt eum scriptorem, quem ego mihi totum explicandum susceperam, non tangeres? At habebas res quasdam singulares, quas si tum non ederes, verebatur ne tibi nullum fructum ferrent, posteaquam commentarij mei exissent. At erat tuum, qui te amicum meum profitebaris, amici tui gloria consulere magis, quam tua. Verum esto. pauci sunt, qui gloria iacturam facere velint. Quamobrem tu, cum Venetias venisses nocte ferè intempesta, pridie quam inde proficeremur: & me dormientem è somno excitasses: in cubiculum meum intromissus, atque adeò in lectum, in quo quiescebam, receptus esses: totam noctem insomnem duxissemus: complures locos è tuis libris memoriter recitasses: nunquam mihi significasti, te quicquam, quod ad Horatium

tuum

tuum pertineret, in tuis libris attigisse? Quamobrem hæc tacebas, & celabas, cum cetera ferè omnia mihi aperires, nisi quòd facile intelligebas, te mihi in eis iniuriam facere, meq; siquid eorum cognovissem, petiturum abs te fuisse pro amicitia nostra, vt illorum locorum editionem in aliud tempus reseruares? Omnino magnum cogitatae iam, & meditatae iniuriae argumentum est, me de Horatio esse celatum, cum ceteros propè omnes auctores aperuisses. Verum demus, te laudis, & gloriae studio, quo optimum quenque virum duci videmus, inflammatum in istam fraudem incidisse. Quid ad hoc respondebis, quòd ea, quæ in municipio Corneliano apud me legeras, cum Cardinalem Turonium Ferrariam proficiscens inuississes, paulum immutata in libros tuos transtulisti? Negare id non potes: & si negabis, testibus te locupletibus coarguam. Quæ quanuis te meminisse sciam, tibi tamen in his litteris ordine perscribam. Primus locus est Ode II. lib. II. Illum aget penna haud metuente solui, &c. quem ego ex veteribus codicibus emendavi sublata negatione.

ne.

ne. Veterisq; scripturae rationem pluribus verbis in meis commentarijs ostendi. eamq; emendationem vnà cum explanatione à me auditam magnopere probauit Cardinalis. Ne te quidem celauit: probasti tu quoque: & paucis post mensibus id totum in cap. VIII. lib. I. Var. lect. retulisti. si quid mentior; Deus immortalis mihi perpetuò sit iratus. Secundus est, Od. XVII. eiusdem lib. Nec dijs amicum est, nec mihi &c. ex quo XII. caput tui libri II. concinnasti. Tertius est, Od. XXI. lib. III. Narratur & priscae Catonis &c. ex quo caput VIII. tui lib. III. conflatum est: ego autem hanc nominis circumlocutionem annotavi ad Od. V. lib. III. idq; tibi Venetijs demonstravi. Quartus est in Od. XVII. epod. Luxere matres Iliae &c. quem tractas cap. XIX. lib. III. eum tibi totum recitavi in Corneliano domi meae. Quintus est Ode VI. lib. III. ex quo confecisti caput XV. lib. III. quanquam, quod ad hunc attinet; non satis comemini vtrum eum tibi legendum dederim, nec ne. hoc scio, me ea de re tecum aliquando esse locutum: & cum

Horat

Horatium in Corneliano vnà cum Cardinali legerem, versus Arati, qui cum Horatianis congruunt, in commentarijs meis descriptos ei ostendisse Locum illum de poetis non laceffendis, de quo tu èν τω ἀρπέρω cap. I. lib. VIII. ego suo loco, nempe ad saty. I. lib. II. tractavi: cui rei mihi testes sunt Villarius, Laureus, Iannoctius, & ipse Cardinalis, si modò memoria tenent. Hæc igitur de te queror. Non enim mihi videris in his, non dico amici, sed viri simplices, & aperti, & candidi (qualis ego & esse, & haberi volo) officio functus esse. Quòd si quando Romam proficiscemur, & ibi te videbo (quod spero breui fore, propterea quòd hic pontifex aqua inter cutem, morbo insanabili, presertim in sene, afflictus, & pænè confectus, nullis medicamentis excitari, nec recreari potest) ego tibi coràm probabo te amicitiam nostram lassisse. Intereà tamen te amare non desinam: & cum te conuenero, quibus conditionibus voles, mecum in gratiam redibis. Venio nunc ad ea, in quibus abs te paulum dissentio. Cap. VII. lib. I. vocem Græcam ἀμφιβάλασος, Latine bimari re-

D spondere

spondere putas. non ita mihi videtur. διθάλασσαν
 dicerem potius. Præterea si epithetum ἀμφιθά-
 λασος, quod significat locum undique mari cin-
 ctum, conuenit Athenis, ut apparet ex verbis
 Xenophōtis, quæ tu producis, non potest Corintho,
 cum Athenarum situs à Corinthi positione plu-
 rimum differat. in primo capite lib. II. Petri vi-
 ctorij sententiam, & explicationem verborum
 Aristotelis in primo de arte dicendi refellis. non
 est meum tantas inter vos componere lites. Ego
 scripturam, quam substituis, non probo. denique
 totum illum locum sic legendū arbitror. Οὐ γὰρ,
 ὡς περ ἐνίοι τῶν τεχνολογῶντων : οἱ ἔτι θέα-
 σιν ἐν τῇ τέχνῃ τὴν ἐπιείκειαν τῆς λέγοντος.
 quorum verborum hæc sententia mihi videtur
 esse. Non enim ita se res habet, ut quidam magi-
 stri, qui de arte scripserunt, existimant : qui non
 ponunt in ijs, quæ sunt artis, probitatem dicentis.
 Verba autem illa ἔγερ, sic esse intelligenda, &
 in eis subaudiendum esse ἔπος ἔχδ, vel quip-
 piam simile, ut sit ἔγερ ἔπος ἔχδ, apparet ex
 illo loco, qui est lib. III. non longè à principio.
 ἔγερ,

ἔγερ, ὡς ἔφη Ἐρύσων, ἔδεναι ἀχρολογεῖν. Iam
 ea, quæ sequuntur, ὡς ἔ συμβαλλομένην &c.
 meministi cum Venetijs essemus, & hos libros in
 manibus haberemus, me tibi dicere libri veteris
 scripturam συμβαλλομένην mihi videri ve-
 ram, & rectam. Cap. XIIII. eiusdem, vocem scri-
 ptū pro lapide malim per b. scribi, quàm per p. &
 ita Festi vet. cod. Cap. XIII. nomen coæuus,
 quo tu vteris, non puto Latinum esse. nam quòd
 in orat. in Vatinius vulgò legitur, nunquam
 puer, aut adolescens inter coæuos fueras? mendosa
 scriptura est: legendum enim est inter coquos, seu
 cocos, ut noster Adr. Turnebus docuit. In XVII.
 eiusdem libri apud M. Tull. in orat. pro M. Cæ-
 lio, censet legēdum, ne quam vocem eiciat, non, ut
 in omnibus libris legitur, ne quam vocem eliciat:
 hoc vno fretus, quòd putas M. Tullium hæc ver-
 ba Euripidis exprimere voluisse Οὐδὲ σκότον
 φρίσσει τὸν ξυνερίστην, τέρεμνάτ' οἰκῶν,
 μήποτε φθογγὴν ἀφῆ; Demus ita esse, non ta-
 men iccirco vulgata & recepta lectio immutan-
 da est. nam hæc verba, non ipsam domum metuet,
 D 2 ne quam

ne quam vocem eliciat? sic interpretabor, nonne Clodia metuet domum ipsam, ne ex ea domo vocem eliciat? & ita locutus est in orat. pro Deiotaro. in qua quaestione dolor veram vocem elicere possit &c. & de orat. dolor & ardor animi etiam ex infantium ingenijs elicere voces, & querelas solet. manet igitur eadem sententia, quam tu vis ex Euripide esse expressam, scriptura manente. Nam quod addis ἀφείναι φωνήν, seu φθογγήν, Ciceronem reddidisse Latine eijcere vocem: videtur mihi apud eum vsitatus esse mittere vocem. Cap. 11. lib. v. νύκτα ἀτρων τεσοφόν; notem siderum alumnam Latine interpretaris: nutricem dixissem potius. Nam alumnus & alumna sine dubio apud probatos Latini sermonis auctores, eos qui aluntur, significant. Cap. xv. verbo insolescendi vteris, & recte, & eo vsus sum semel in scholijs meis ad lib. 4. Aristotelis ad Nicomach. Nam quod suspicatus sum aliquando verbum esse inusitatum, indicavit mihi P. Magnus tuus & meus, eo verbo Sallustium vsus esse in coniurat. Catil. Cap. xix. ita loqueris, Aeneae autem

autem, propter singularem ipsius pietatem, eos potius quam cuiquam alij, apparuisse, credibile est. Primum hoc apparuisse Aeneae, insolens: deinde Aeneae eos potius, perturbatum: ita enim collocanda verba fuerunt, Aeneae autem potius, propter &c. eos apparuisse, &c. Cap. 1. lib. v. Aristotelis locum ex principio lib. 111. analyticorum, puto mendo vacare, hoc modo ἐστὶ δὲ γνωρίζειν τὰ μὲν πρότερον γνωρίζοντα, τῶν δὲ ἐὰν λαμβάνοντα τὴν γνώσιν. Cap. v. non videntur M. Tullius, & Lysias eodem argumento vsi esse. Nam M. Tullius quidem ait, non esse verisimile M. Caelium consilium de Clodia veneno necanda eius servis crediturum fuisse: quos sciret licentius, liberius, familiarius, cum domina vivere. Lysias autem eum, qui arguebatur sacram oleam incidisse, sic defendit, non esse credibile id facinus admisisse: quia servos suos, eius facinoris conscios: & ita non iam servos, sed dominos per totam vitam habiturus esset. eodem capite facinoris nomen, & flagitij confundis: quasi vtriusque eadem sit significatio. Atqui ex lectione Latinorum scripto-

rum intelligere licet, flagitium semper locum habere in re turpi, & cum dedecore coniuncta, ut si quis libidinosus, si quis ignavus esse arguatur: facinus autem, cum in vitio ponitur, (nam interdum etiam in re laudabili locum habet, & prope modum idem valet, quod factum) vel audaciam, vel immanitatem quandam non sine cruore, aut certe non sine manuum ministerio, atque opera significat. vno & altero exemplo contentus ero. M. Tull. orat. 1. in Catil. Quæ libido ab oculis? quod facinus à manibus tuis vnquam, quod flagitium à toto corpore abfuit? idem pro M. C. Cato, cui nihil vnquam nefas fuit, nec in facinore, nec in libidine. In cap. v. 1. ita loqueris, ad spernendam pro patria vitam. dixissem contemnendam. Nam spernere dicimur, quod reijcimus, repudiamus, respuimus. contemnere, quod nobis vile est, quod parui facimus. Itaque sic loquuntur boni scriptores, contemnere vitam, pecuniam, honores: non spernere. Contrà, spernere voluptates, amicitiam improborum, studium malarum artium. neque verò me mouet T. Livius, qui videtur interdum

verbo

verbo spernendi aliter vti. magis me mouent Ennius, Lucretius, Plautus, Terentius, Cæsar, M. Tullius, Virgilius, Tibullus, Horatius. in Cap. xviii. Euripidis loci nihil te adiuvant καλὸν ὄνειδος, κάλλιστον ὄνειδος. dicam enim ita Latine, si quis rem laudabilem mihi vitio vertat, verbi gratia, quòd tyrannum interfecerim: vel quòd falsam religionem oppugnarim, Christianam & veram defenderim: gloriosum probrum mihi obijcis. & contrà si quis laudet quempiam, quòd patriam prodiderit, aut quòd alicui virgini generose pudicitiam eripuerit: dicam turpes & infames esse laudes. Iam de Aulo Gellio alius erit disputandi locus. hoc tantum dicam in oratione Metelli, peiorem mihi videri positum pro minore, ut Græci χείρονα dicunt pro ἡττώνα. Fugit me admonere te de ijs, quæ scribis in cap. ultimo, lib. iiii. vbi mihi videris dormitasse. nam verborum illorum Euripidis in Electra ὥστε χεῖρας ἐμὰς λιπέω βέλος, non est ea sententia, quam tu putas. ita enim interpretaris, quasi significet Orestes, cum mater flens ipsum oraret, atque obse-

D 4 craret

craret, ne se interficeret, telum ex ipsius manu fugisse: id est, Orestem imprudentem matri necem intulisse. quo nihil absurdius fingi aut excogitari potest: & miror id tibi unquam in mentem verisse. Nam hæc sententia est potius: ita miserabiles & flebiles voces mittebat: ita me suis precibus commovebat mater, ut telum, quod ego districtum tenebam ad eam necandam, pœnè mihi è manibus excideret. In Cap. XI. lib. VII. primum non placet, quòd, novos, Græcè interpretaris νέος: καὶνός potius dicam. sic enim Plutarch. in Catoe maiore: Εἰωθότων δὲ τῶν βωμῶν τὴν ἀπὸ γένος δόξαν ἔκ' ἔχοντας, ἀρχομύθους δὲ γνωρίζουσαι δὲ αὐτῶν, καὶνός πεσοῦτορ' εὐειν &c. Deinde sententia, quam elicis ex his verbis Q. Tullij Ciceronis, de petit. consulat. habes enim ea quæ novi: (deles enim verbum habuerunt) publicanos, totum ferè equestrem ordinem, &c. mihi probari non potest. Quis enim ita loquitur? habes ea, quæ novi, id est quæ scio? dicerem potius: habes ea, quæ rite scis. Postremò, nihil puto tollendum: sed addendam negationem, non: quæ ex
similit

similitudine vocis propinqua, novi, à librarijs prætermissa est. Itaque totus hic locus sic mihi videtur esse legendus. habes enim ea, quæ novi non habuerunt &c. in Cap. XVIII. locum Ciceronis, qui est in principio eius libri, qui inscribitur Lucullus, sine dubio corruptum, alio modo corrigis, alio Paull. Manutius. Dicam liberè. neque tuâ, neque Paull. Manutij emendationè probo. Ego iam pridem propius (nisi fallor) accedens ad scripturâ corruptam, sic emendavi. sed præstat verba M. Tullij ascribere. Nam quòd dicunt omnia se credere ei, quem iudicent fuisse sapientem: probarè, si id ipsum rudes et indocti iudicare potuissent. statuere enim, quis sit sapiēs, vel maxime videtur esse sapiētis. sed ut potuerunt omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententijs, iudicauerunt: aut re semel audita, ad vnius se auctoritatem contulerunt. totum hunc locum à principio ad illa verba, sed ut potuerunt &c. integrum, & incorruptum esse constat: ab illis verbis ad extremum, planè mendosus est. Sic igitur eum emendandum censeo. sed ut potuerint, potuerunt omnibus rebus auditis,

cognitis etiam reliquorum sententijs iudicare. Nunc autem re semel audita, ad vnius se auctoritatem contulerunt. sententia nunc est aperta. scriptura autem non magna fit commutatio. Vocem potuerint, quam probabile est à librario, propter similitudinem vocis sequentis esse prætermisam, repono: ex his verbis, iudicauerunt aut re, facio iudicare. nunc autem re. Cap. II. lib. VIII. ita loqueris. ira enim ex opinione iniuriæ nascitur: quibus verbis illa Aristotelis (opinor) interpretaris ὀργὴ ἐστὶν ἐπὶ φαινομένῃ ἀδικίᾳ: puto planius futurum fuisse si dixisses: ira enim ex opinione iniuriæ acceptæ nascitur. De illo loco, qui est lib. II. rhetor. Arist. ἢ γὰρ αὐτὴ δύναμις τῶν ἐναντίων, ἢ ἐναντία, de quo disputas cap. VII. dissentiens à P. Victorio, nondum constitui verius vestrum sententia sit probabilior. Vellem caput XXI. de mulieribus eruditis & libidinosis, admiscere tibi non venisset in mentem. Videris ignorare quàm sit iracundum mulierum genus. Atqui debebat te miserabilis Orphei casus erudire, & à mulieribus irritandis deterrere.

Sed

Sed plura quàm volueram: vt minus sit mirum, si me dicam scribendo, te suspicer legendo defessum esse. Hæc tantùm addam. scis libros de moribus ad Nicomachum Lutetia paulò accuratiùs & emendatiùs, quàm Venetijs, excusos esse. Veruntamen non vsquequaque vacant erratis aut librariorum, aut meis. ego omnes relegi, & perpurgavi mea quidem sententia. Ubi primum Lugduni fuero, curabo vt de integro excudantur. de Græca voce φορτικός, placet, quòd mihi coràm dixisti in Corneliano. φορτικὸν vno nomine Latino non satis commode exprimi posse. pluribus posse, vt eum vel ineptum, vel stolidum, vel ridiculum, vel tardum, & pinguem, & similibus interpretemur. nomen διαφορά, quod est pag. III. malè interpretatus sum, dissimilitudo. dissensionem potius vertere debui, iam de verbo πορίζω, quod est lib. IIII. in editione Parisiensi præbere & largiri repositum est: & Græco πορίζω, quod est lib. X. curavi vt Latinum responderet sibi comparare, seu parare. Vale & me, vt soles, ama. & facito, vt intelligam te libera amico-

rum

rum oratione offendi non solere. Luca. Kal. Sextilibus CID. IO. LIX.

ERRICVS MEMMIVS PARISIENSIS

Dionysio Lambino Monstrolienfi

S. D.

INgratus sim, mi Lambine, nisi te saluum aduenisse in Galliam non modò gaudeam, verùm etiam hoc meum ex tuo aduentu gaudium, notum tibi, & testatum esse velim: hoc enim postulat vetus amor noster, seu potius amor in te meus: siquidem rectè Stoici amorem definiunt. Scilicet in me nihil extitit vnquam ea specie virtutis, quæ te ad amicitiam mecum instituendam inuitaret. Verùm, cùm ego te propter litteras, istumq; animi quasi candorē iam vltro amarem, persoluiſti tu mihi sanè amoris mei pretiũ, quàm potuiſti, maximum, teq; ac tuo ingenio dignissimum: hoc est (vt ego interpretor) ad mutuam inter nos benevolentiam consensisti, teq; à me amari passus es: & animo quidem passus es non modò æquo, verùm etiam libente. Meus autem ille amor

ab

ab ineunte etate, & pœnè à pueritia mea susceptus, etsi non eo vsu, neque ea consuetudine cultus est, qua optabam (quia & disiunctissimis in locis, posteaquàm Tolosa discessisti, fuimus, & maximè diuturna fuit absentia nostra) huius modi est tamen, vt eius iter nulla potuerit, neque longinquitate, vel (vt nostri iurisconsulti loquuntur) præscriptione temporis interrumpi, neque locorum interuallo minui. Habet enim causam continuam, nempe tuam singularem virtutem, vberemq; doctrinam: quæ duo animi bona cùm exarescant nunquam, sed perpetuò fluant, nouis quotidie, tanquam ex fonte perenni, riuus manantibus, necesse est amorem quoque meum continentem, ac sempiternum permanere, vt neque vlla vnquam absentia exhauriri, neque vsus intermissione evanescere, aut interire queat. Sed quid ego hæc ad te? quasi verò tu amicitiam nostram aut extinguere velis, qui & me semper vnicè dilexisti, & amorem in te meum plurimi fecisti: aut, iurisperitus cùm sis, nescias, eius quidem rei possessionem amissam dici non posse, quam animo teneamus:

neamus : amicitiam autem nostram à me in
 sinu, & in ore omnibus horis ferri : in me reuiu-
 scere, & crescere in dies magis ac magis. Nam tu
 quidem, optime Lambine, cum ego in Etruria es-
 sem, & Card. Turnonius ad me scriberet, scripsisti
 cum eo unà : litterasq; ad me dedisti omnibus
 amoris notis aspersas : quibus amicitiam nostram
 non tu quidem redintegrasti, quae nunquam fuit
 aut dissoluta, aut imminuta, sed sopitam certè, &
 tacitam ad veterem consuetudinem reuocasti,
 atque excitasti. Quibus litteris tum nihil rescripsi,
 quòd eo ipso tempore incidi in morbum grauem,
 & periculosum : nihilominus tamen tuo erga me
 amori, tuaq; benevolentiae tacito officio, & grata
 voluntate respondi. Postea autem cum ex Etru-
 ria in Galliam arcessitus essem, & Venetis iter
 facerem, essetq; tum Cardinalis Turnonius in
 Corneliano, & ego ad illum deuio itinere equis di-
 spositis vectus cucurrissem praestantissimi, & cla-
 rissimi viri salutandi gratia, (à quo sanè perlibe-
 raliter, & perhumaniter acceptus sum) te quo-
 que inter eius familiareis sum complexus, mi
 Lam

Lambine, & fuit nostrum illud postremum,
 quanquam pro mea in te voluntate angustum,
 & breue, longè tamen mihi optatissimum, iucun-
 dissimumq; colloquium. Nunc verò quando nobis
 tandem redditus es (te enim cum Cardinali tuo
 Aurelianū venisse puto) velim quàm sepius,
 & quàm diutissime mihi tua suauissima consue-
 tudine frui liceat : qua nihil equidem habiturus
 sum antiquius. Quod quia non tam citò mihi da-
 tur, quàm cupiebam, usus sum interea bono litte-
 rarum, quo nostrā congressionem quasi praecur-
 rerem, meamq; ex illa futuram letitiam & ipse
 preciperem, & tibi praesignificarem. Scripsi ad Io.
 Maludanum de eodem & oleo, & atramento, ut
 hominem tui item cupidissimum huius gaudij
 participem quàm primū facerem. Tu si Lu-
 tetiam venies, caue putes te cuiquam aut gra-
 tiores, aut expectatiores, quàm mihi,
 venturum. Vale Lutetiae a.d.

IIII. Kal. Dec. CIO.

IO. LX.

D. LAM

D. LAMBIVS ERRICO MEMMIO

supplicum libellorum magistro

S. D.

SI, quantum mihi tuae humanissimae litterae voluptatis attulerunt, suavissime Memmi, tantum mihi oci, vacuiq; temporis esset ad rescribendum, non ego quidem aequè diserta, & eleganti, sed multo certè longiore epistola, quam tua, meam tibi singularem referenda gratiae voluntatem declararem. Nunc autem, cum eo tempore mihi tuae litterae redditae sint, quo tempore occupatissimus eram in describendis, & concinnandis meis in Horatium commentarijs, & in primis chartis, quas typographi typis exarare solent, tantum ut de ipsorum typorum structura, seu positura periculum faciant, recognoscendis, corrigendis, &, quo ad eius fieri potest, perpurgandis: velim mihi ignoscas, si meae litterae tibi videbuntur, (ut erunt) & breviores, & negligentius scriptae, quam amicitia nostra postulabat. Ut igitur, quo modo mihi per mea occupatissima tempora licet, tuis litteris respondeam, scito, eas mihi fuisse iucundissimas,

simas, primum quòd abs te veniebant homine mecum & studiorum societate, & consuetudine victus iam inde ab adolescentia tua coniunctissimo: deinde, quòd erant ita non solum eleganter, verum etiam suaviter, & amanter scriptae, ut earum lectio dulcissimam mihi illius temporis, cum ego, tu, frater tuus, Maludanus unà vivebamus, memoriam renouarit, ac representarit. Erat tum scilicet illa vita homine digna, non ea, quae in molestissimis, periculosissimisque navigationibus, in tot equitationibus, in tam longinquis, & diuturnis peregrinationibus traducta est. Tum bene, beateq; vivebam, cum horas antelucanas, & antemeridianas in pervolvendis Iurisconsultorum, & philosophorum libris: pomeridianas in poetarum, & rhetorū tum Graecorū, tum Latinorum monumentis cognoscendis, et perlegendis consumebam: tu, & frater tuus admodum adolescentes de loco superiore ius interpretabamini: Maludanus tempus item matutinum totum in iuris civilis studium conferebat: sese ad respondendum de iure preparabat, atque instruebat: commentarios de

E

questio

quaestionibus totius iuris civilis obscurissimis con-
scribebat: horis subsecivis Plutarchum (quo au-
ctore magnopere delectabatur) legēdo conterebat.
pransi communiter vel Luciani facetissimos dia-
logos, vel Athenaeum, vel Xenophontem, vel Gra-
corum Epigrammata legebamus: sub caenam, si
diei tempestas ferebat, in hortis suburbanis am-
bulabamus: caelo caliginoso, ac turbulento, domi
parua pila ludebamus bini: caenati facerem, &
urbanum aliquem sermonem inducebamus, quo
nostros animos oblectaremus: deinde bibliothecas
nostras repetebamus, in eisq; usque eò moraba-
mur, donec nos ad somnum capiendum tempus
hortaretur. At praclarum est, dices, multorum
hominum vrbeis vidisse, moresq; cognovisse. Prae-
clarum: sed primùm laboriosum: deinde à meis
moribus alienum, meis studiis maximè aduersa-
rium, meo denique vivendi instituto, consilioq; su-
scepto inutile. Litterae quietem, ociumq; deside-
rant: librorum copia accedat oportet: postremò,
quoniam humanus animus assiduam lectionem,
scriptionem, commentationem, contentionem ferre
non

non potest: rursus autem expedit ei homini, qui in
litteris progressionem aliquam facere cupiat, lu-
sus liberales, & cum litteris consentaneos adhi-
bere, ne, quod lectione, & seria cogitatione par-
tum fuerit, remissione animi, & lusione nimium
à litteris abhorrente labefactetur, & corrumpatur:
conuenit eum habere studiorū socios, moribus, &
voluntatibus congruenteis, quibuscum interdum
de litteris sermonem conferat, interdum iocetur,
& rideat. Has facultates mihi tam longa pere-
grinatio, tam varia, tam incerta, tam inconstans
inuidit. Nam, obsecro te, qui locus quieti relictus
est in vita tam (vt ita dicam) motoria, & turbu-
lenta? librorum autem supellectilem si quis in
tali vita, quoquò eat, semper secum ferre velit, du-
cenda vehicula, conducendi muliones, muli pa-
scendi. quod sine magno sumtu, magnaq; iactura
fieri non potest, vt omittam, quòd alia sunt impe-
dimenta circumagenda, magis necessaria: ea dico,
quae ad curam valetudinis pertinent, quaeq; ad
cultum corporis comparata sunt. Iam verò de stu-
diorum sociis, qui potest ibi quicquam ex animi

sententia procedere, ubi quotidie diuersorium mutandum est: noua, si non singulis diebus, at singulis mensibus terrarum partes, & regiones petenda? noua vrbes adeunda, noui homines videndi? Hæc igitur mea per annos ferè duodecim vita fuit. In Italiam ex Gallia bis profectus sum cum Cardinali: toties cum eodem in Galliam ex Italia redi, semel pedibus: iterum nauibus. Prætermitto quoties nos Roma Venetias: quoties Venetijs Romanam vel Pontifex Max. vel Rex transtulerit. Quem Latij, aut Etruria, aut Umbria, aut Gallicæ transalpinae angulum non peragrauimus? Quoties mari Tyrrheno, quoties Adriatico nauigauimus? quoties Tiberi: quoties Pado? Sed quid de Italia loquor? In nostra Gallia licuit ne vnquam mensem vnum stabile domicilium certo in loco collocare? quasi verò cuiquam sit incognita principum nostrorum consuetudo: qui Getarum, & Scytharum, ne dicam Hamaxobiorum in morem, huc & illuc cum infinita iumentorum, carrorum, pilentorum, petorritorum, & huiusmodi vehiculorum, multitudine in nouas quotidie

die Galliae sedes, & parteis commigrant. Sed quorsum hæc? vt intelligas me incredibilem latitiam ex tuis litteris cepisse: quòd ex earum lectione non solum præteritas voluptates eas, quas ex consuetudine, & conuictu nostro capiebam: verum etiam præteritos labores eos, quos in mea peregrinatione pertuli, sum recordatus. Suauem autem esse etiam laborum, malorumq; præteritorum memoriam & nobiles scriptores tradiderunt, & nos ipsi in hac vita quotidiana vsu experimur. Iam verò, quòd mihi meum in Galliam reditum gratularis, & gratiam habeo, & tuam erga me beneuolentiam, caritatemq; agnosco: petoq; abs te, vt sic tibi persuadeas, me ceteris rebus omnibus abs te vinci equo animo ferre posse: amore, & grata animi voluntate non posse. Simulatque id, quod habeo in manibus, absoluero, redi ad clariss. virum Card. Turnonium contendam: à quo me iam nimium diu abesse sentio: Deinde Lutetiam me conferam, vt amicos, qui mihi supersunt, (multos enim mihi mors eripuit) longo interuallo reuisam, salutem, complectar. De Maludano,

gratum fecisti, quod ad eum de meo aduentu scripsisti. gratius fecisses, si ei persuadere potuisses, ut mense Maio proximo Lutetiam veniret: quò fratris eius filius dixit mihi eum toto quadriennio non aspirasse. scio illum esse in patria sua patronum (ut vocant) Regium. quid tum? veretur ne se absente ne negocia regia deserantur? Omnino eum videre discupio. Est enim vir mihi omnium (ut scis) carissimus: atque eo carior, quo nostra etates magis sunt inter se finitimæ. Ad quem, cum nuper audissem fratris ipsius filium Lugduni esse, breueis litteras dedi: tantum, ut ex me ipso sciret me & saluum ex Italia rediisse, & amicitia nostra memoriam constantissime, sanctissimeq; conseruare. fratri tuo Iac. Memmio S. dices. Vale Lugduni nonis Febr. anno CIO. IO. LXI.

DIONYS. LAMBIVS IO.

Maludano S. D.

EGo dudum ex Italia in Galliam nostram redi saluus, & incolumis Deorum immortalium beneficio. Lugduni constiti: ubi meos in to-
tum

tum Horat. commentarios typis excudendos curo. Card. meus in aula regia est. ad quem simulatque hoc, quod ago, absoluero, mutatis iumentis prope-rabo. Duo corpora ex his commentarijs cum ipso poëta cõiunctis, confeci. Uno corpore odarum, seu carminum libri continebuntur: altero, sermonum, ut ego inscribo: id est, satyrarum & epistoliarum. Sex menses in excudendis consumentur. res ad satyram quintam perducta est. corpus secundum autem à satyris initium capit: quod cur ita faciam, rationem probabilem reddo. Quartum iam mensem Lugduni sum. Si propius abesses, & si haberem, cui perferendum darem, vnum exemplum ad te mittendum curarem. Erricus Memmius me litteris amantissime scriptis laceßiuit. ego tamen nihil dum ei rescripsi, propter meas occupationes. Quibus ubi me aliquantum laxaro, non committam, ut me superbia, atque adeò inhumanitatis iure accusare possit. Velim ex tuis litteris, de tua valetudine, & de rerum tuarum statu cognoscere. diuersor apud eum ipsum typographum, qui mihi dat operas. Is Io. Torneßius

nominatur, vir bonus, & in sua arte nauus, industrius ac diligens. Hæc iam scripseram, & quærebam cui darem: cum mihi nunciatum est fratris tui filium negociandi causa Lugdunum venisse, & in publico diuersorio, cui aquila argentea pro signo appensa est, diuersari. eò statim puerum misi rogatum, ut ad me veniret: sed propterea quod me ei ignotum esse suspicabar, puero præcepi, ut hæc præfaretur, primum te vnum omnium, quibuscum mihi aliquis vsus aut nunc est, aut aliquando fuit, mihi esse carissimum: & hominem, quicum olim coniunctissime vixerim: deinde, nisi rebus necessarijs occupatus, atque implicatus essem, me vltro ad eum iturum fuisse, ut ex eo de te, & de tuis rebus cognoscerem: Nunc cum per summas occupationes meas, & maximas temporis angustias, mihi ad eum ire, ac ne limine quidem pedem efferre liceat, petere me ab eo pro mea in te eius patrum singulari voluntate, & nostra veteri necessitudine, ne grauaretur ad me venire. hæc illi puer meis verbis. respondit ille sanè quàm liberaliter, se postridicè certè venturum.

quod

quod si tempus diei id esset, quo tempore commode venire posset, præsertim tam longè à suo diuersorio, (nam & nox instabat, & ades Tornefiana satis longo interuallo absunt ab aquila argentea) eo ipso temporis puncto ad me properaturum fuisse, ut talem patruum amicum, de quo te sæpe loquentem audisset, complecteretur, & videret. Neque verò ille ἔπος ἀνευκόλιον ἔειπε: sed postero die manè venit. Quid quæris? adolescentem vidi, amplexatus sum, conuèni, & eum, cum de tuis rebus secundis, mecum loqueretur, perquam libenter audiui. Cuius quidem aspectus, congressus, & sermo eo mihi fuit iucundior, atque amabilior, quo magis te totum vultu, ore, voce exprimere videbatur. Quid multa? magnam ex eius aspectu, atque oratione cepi voluptatē: atque adeò eiusmodi, ut eam non modo tam breui epistola, sed ne magnis quidem voluminibus tibi explicare possim. Hæc habui, quæ tibi scriberem: ex quibus tu facile iudicabis, quàm sim occupatus. Nam, ni ita esset, non dubito, quin scias me paulò accuratius ad te fuisse scripturum. Sed confido te, cui

notissimus sum, hanc meam inscribendo negligentiam, ac simplicitatem nullo fuce expolitam, equi boniq³ facturum, & quod in meis moribus, meoq³ ingenio semper amavisti, & laudavisti, hoc idem in litteris probaturum. Vale, Lugduni idibus Ianuarijs. anno CIO. IO. LXI. Audio te patrem esse. primum tibi gratulor: deinde opto ut tuorum liberorum virtute ac pietate perpetuo latus, ac beatus sis. Præterea uxori tuæ te tali viro fortunata, (nisi forte hoc tibi putidum videbitur, ignotam ab ignoto saluere iuberi) meis verbis salutem dices.

DIONYS. LAMBIVS PETRO
Angelio Bargæo S. D.

Ego me tua causa nihil fecisse arbitror, quam obrem mihi tam multis, tamq³ honorificis verbis gratias ageres, doctissime Bargæe, nisi forte eo ingenio es, ut te ab ijs, qui propensam ad bene de te merendum voluntatem habent, tibiq³ ex animo bene cupiunt, beneficium accepisse putes. Hoc si ita est, fateor te, si non ijs verbis, quibus usus es, at certe popularibus, & vulgaribus signum aliquod

quod grati in me animi dare debuisse. Ego enim eo in te animo sum: ea te benevolentia complector: eo tui, tuarumq³ rerum secundarum studio incensus sum posteaquam libros tuos cum antiquorum medijs fidijs scriptis comparandos, quos Lugduni typis Ant. Gryphij describi voluisti, ut nihil sit, quod ego tua causa libentissime non sim facturus: nulla opera, quam in tuis rebus non sim studiosissime collocaturus: nullus labor quæ tuo rogatu non cupidissime suscepturus. Nam, Deus bone, quæ hæc est nostri seculi felicitas! Quis unquam speraret nostris temporibus tam turbulentis, ac perditis, eum exoriturum, qui tale carmen pangeret? tam graue, ubi gravitate opus est? tam molle, tenerum, & concinnum, ubi lepos, & mollitudo, & concinnitas desiderantur? Quid de tuis κωνσταντινου libri dicam? quid de eclogis: vno verbo, quod sentio, expediam. In utrisque Virgilium spiras. Iam in elegis Catullum, & Tibullum exprimis. In Lyricis ad Horatium proximè accedis. Versus porrò Græcos cum lego, sic afficior, ut Callimachus mihi reuixisse videatur. Et, cum talis sis, egone

tam

tam omnis humanitatis expers essem, tam impo-
 litis moribus, ingenio tam stupido, atque agreſti,
 vt tanta tuorum ſcriptorum vel maiestate, vel
 elegancia & feſtiuitate non permouerer? Ego
 verò tum me dignum cui per omnem vitam
 Muſa & Charites, et Veneres omnes iniquæ at-
 que iratæ ſint, deputarem, niſi ſaltem meum erga
 te ſtudium, promptamq; voluntatem, quo potuiſ-
 ſem modo declarafſem. Nam de hoc quidem te
 nihilo plus addubitare velim, quàm iſ de rebus,
 quæ tibi ſint exploratiſſimæ, me, ſi quid aliud
 fuiſſet, quo meum in te animum teſtari poſſem,
 æquè ſtudioſè fuiſſe facturū, atque illud quicquid
 eſt, cuius nomine mihi gratias agis. Sed de his ni-
 mis multa, præſertim cùm Io. Baptiſta Minu-
 tulus homo bonarum artium, & harum littera-
 rum (vt ſcis) ſtudioſiſſimus, puerum ſuum iam
 ad me miſerit, qui nunciaret tabellarium, qui in
 Italiam equis mutatis profecturus eſt, eſſe orna-
 tum, ac paratum, & mox ſe in viam daturum.
 Hæc erit mea epiſtola clauſula, me petere abs te,
 vt tibi perſuadeas nihil eſſe tara difficile, aut la-
 borio

borioſum, in quo ego conficiendo, aut certe procu-
 rando, vel abs te admonitus, vel etiam mea ſpon-
 te, ſi tua intereſſe putem, non ſim omni meo ſtu-
 dio, atque opera, tua cauſa elaboraturus. Tantum
 facito vt mihi perinde, vt vni ex tuis familiariffi-
 mis, ea omnia, in quibus mea induſtria tibi vſui
 eſſe poterit, imperes, & imponas. Ea quæ mihi
 in tuo exemplari viſa ſunt ſuſpecta, & vel tibi im-
 prudenti excidiſſe, vel à tuo ſcriptore librario pec-
 cata, ſeparatim tibi perſcripſi Minutuli rogatu.
 de quibus velim ad nos primo quoque tempore
 reſcribas: Informes oues puto eſſe tui ſcriptoris
 erratum, teq; Infirmas ſcripſiſſe. ſic enim
 Horat. & ἀμεννῶν οἶον Hom. mihi
 tamen quicquam immutare
 religio fuit. Vale. Lugdu-
 ni Idib. Febr. CIO.

IO. LXI.

*

FINIS.

LVGDVNI
APVD HÆREDES SEB.
GRYPHII.

I

APPENDIX EPISTO-
LARVM CLARORVM
VIRORVM.

*

PETRVS ANGELIVS BARGÆVS
Dionyfio Lambino S. D.

A. d. decimum Kal. Mart. fuerunt
mihi reddita litera tua, quæ me
incredibili voluptate affecerunt.
nam præterquam quòd mihi à
te missæ sunt, id est, ab eo, cuius
eruditionem, ac doctrinam iampridem ex doctis-
simorum hominum scriptis, nuper autem ex Mi-
nutuli vtriusque nostrum amantissimi, & ado-
lescentis integerrimi litteris magnopere suspicie-
bam, erant etiam amoris erga me tui notis mi-
rabiliter insignes. neque vero hoc ideò à me dici-
tur, quòd in ijs Κωννητικὰ illa mea laudibus
in cælum feras, carminaq; cum eorum scriptis pe-
nè compares, quos admirari potius, quam imitari
possumus: sed quòd re ipsa ostenderis, te non mo-
dò librarij errata diligentissimè sustulisse, verùm
A etiam

etiam mea ipsius doctè, ac peramanter notauisse omnia. quanquam, verè ut dicam, Lambine doctiss. legendis tuis sic interdum afficiebar, ut parum abesset, quin me eum esse crederem, quem tu dicebas: ac, nisi iandudum mihi foret persuasum esse neminem, cui tu vel humanitate, vel eloquentia cederes, iam ego, qui mihi antea nihil plane tribuere consueueram, non omnino peccatum à me esse putauissem, qui ea, quæ scripseram, quæq; occultari potius, quàm in lucem edi oportere semper existimaueram, vulgari, & ab hominibus cognosci passus essem. sed, cum me ipse collegi, & quid possim diligenter exploravi, testimonio isto tuo letandum mihi tantummodo esse intelligo, quòd me abs te non mediocriter amari aperte, & palam significauisti: in quo nisi ego tibi sic respondeam, ut non omnino indignum esse me ducas, quem amare inceperis, dignissimum ipse me esse statuam, quem omnes boni malè oderint. nam quòd scribis, te nihil vnquam mea causa fecisse, quare tibi agerem gratias, agnosco modestiam tuam. Sed tamen noli quæso mi Lambine mihi
tam

tam turpem notam inurere ingrati animi, dum tuum erga me meritum ita extenuas, vel occultas potius, ut iam me non onerare, sed obruere plurimis, & maximis officijs tuis velle videaris. quamobrem pàtere, amabo te, si amori, si humanitati, si iudicio, si labori denique tuo, quem in scriptis meis corrigendis, emendandisq; suscepisti, debere me plurimum non ignoras, pàtere, inquam, ut tuas tanti viri excellentes virtutes prædicando qua possum cumq; ratione gratias agam, apud eum præsertim, quem, ut auctorem habeo tuorum in me meritorum, sic testem habere minimè velim vel impudentiæ meæ, vel arrogantia. nam quid esse potest impudentius, atque arrogantius, quàm beneficium, quod acceperis, accepisse te non profiteri, idq; ita dissimulare, ut etiam contemnerè existimeris? à qua quidem culpa longè ut abessem nunquam non est à me laboratum vehementer. Debeo itaque tibi tantum, quantum me nullo tempore persolaturum esse certò scio: tùm verò gratias sic ago, ut neque maiores, neque magis ex animo quisquam cuiquam agere vnquam
A 2 possit,

possit, mihiq³ dari aliquam occasionem valde cupio ita huiusce in te meæ declarandæ voluntatis, ut, qui se tibi tantum debere profiteatur, & prædicet, habere te neminem planè sentias. quæ occasio si à te mihi oblata fuerit: sine vlla dubitatione ad eam voluntatem, quam erga me optimam nullo meo merito suscepisti, maximum cumulum accessisse existimabo. Quòd ad errata pertinet: doctè tu quidem, & peracutè omnia. eaq³ de re multum te amo. Illud verò, quod librarius scripserat macent, tu marcent reposuisti, ego mærent scripseram. quòd autem dicis vsum me esse Præstare fidem pro Habere fidem, puto te illud carmen significare voluisse, quod est in ode ad Iulium Camillum (Si præstanda pijs vatibus est fides) sed à me nihil est illic (nisi fallor) in Latinitate peccatum. peccatū est fortasse, quòd obscurius, quàm oportuit, sum locutus. Ediderat Iulius Camillus aliquot versus Etrusco sermone, in quibus pollebatur, se Francisci Valesij res præclarè gestas immortalitati consecraturum. Eorum igitur verborum, quibus ego vsum sum eo in loco, sensus is est,

Franc

Francisci Valesij memoria nunquam extinguetur, quando id, quod Poëta pollicentur, præstari necesse est. ut, Pijs vatibus, non tertius, sed septimus sit casus: duriuscule fortasse, sed tamen, ut puto, non inusitatè. Hoc autem non esse à me nunc excogitatum, testimonio tibi esse poterit, quòd idem carmen fuerat olim à me ita conscriptum (Si sit danda pijs vatibus hæc fides) pro eo, quod est, Si vates de se polliceri tantum possunt: quemadmodum nunc quoque legitur in eadem ipsa ode. nam illa me insciente olim est Lutetiæ ab Nicolao Diuine inter Italorum Poëtarum Epigrammata typis excusa. Iuuentam ut pro iuuenibus vsurparem, fecit illud Horatij, Dij probos mores docili iuuentæ, ut Martiale omittam, apud quem est Quintiliane vagæ moderator summe iuuentæ. Excludere Lyæum dictum à me est audacius fortasse, quàm par fuit, translato ab auiculis, & gallinis verbo: sed tamen, quoniam vna proximè ad ouorum similitudinem accedunt, existimabam me non omnino ineptè verbum illud vsurpauisse. quòd si minus verecundè

A 3 alienum

alienum locum occupavit, excludatur verò illinc, & pro eo reponatur, Exprimeret, ut sit, læta exprimeret Lyæum. Ex tempore mutandum non censeo. nam & Cicero in Orat. Pro Archia opponit inter se, ex tempore, & accurate, cogitareq. idem facit Plinius, idem Sallustius: & à me in eam partem sumitur, ut significet ex occasione, quasiq. è re nata. ut in 2. Cyneget. Illi omneis, quoscunq; volunt, ex tempore mutant, Si quando occulti quicquã metuere, colores. & in quodam Hendecasyllabo Ranã ex tempore versus in palustrem est. hæserat enim ille in luto. In gymnasio, & iuventus non modò Catullus, sed etiam Propertius, & Iuuenalis, & Plautus erratum esse ostendunt. quod tamen non mihi sed librario, vel potius & mihi, & librario tribuendum est. Scripseram ego Dum gymnastica claustra conticescunt. quod cum mihi displiceret, reposui Hæc dum gymnasia vsque conticescunt. Id quoque parum cum probarem, scripsi Pisis dum schola nostra conticescit: qua quidem ex variatione data est librario

rio erroris ansa. Sed ego plectendus, qui, quæ ille descripserat, non antea diligentissime recognoverim, quàm istuc mitterentur. Fac igitur, si me amas, vel potius, quoniam me amas, ut hæc ita corrigantur.

Pisis dum schola conticescit omnis:

Dum frigent studia ipsa litterarum

Prolata, & cupide nimis iuuentus

Quod te dicis à Minutulo impulsam, uti de his me admoneres, video quid agas. vis enim illi non minus debeam, quàm tibi. ego verò utrique vestrum antea quidem plurimum debere me intelligebam: nunc verò ijs esse beneficij vinculis obstrictum sentio, quæ sine summo meo scelere laxari præterea non possunt. Aliud quid? etiam Horatium tuum, & Lucretium avidissime expectamus. Vale. Pisis IX. Kalend. Mart. anno CIO. IO. LXI.

D. LAMBIVS MONSTROLIENSIS

P. Angelio Bargæo, S. D.

Quod tua scripta laudavi, doctissime Bargæe, id feci incorrupto, atque integro de tua

A 4 virs

virtute, tuaq; doctrina iudicio. Nam neque me tua erga me priuatim merita antè quàm ea de te, tuisq; libris testarer, corruperant: neque amor in te meus mihi oculorum aciem præstinxerat, ne in iudicando verum dispicere possem: sed publica demum utilitate, quæ ex tuis scriptis percipietur, æstimata, ac ponderata, meis priuatis commodis letatus sum: & posteaquàm de tuis libris iudicium feci, tum denique te amaui. Omnino duæ res me, vt ea de illis & sentirem, & scriberem, impulerunt: primùm summa tui ingenij, quod in tuis versibus cernitur, admiratio: deinde honestissima, de tua doctrina opinio ex tuorum scriptorum lectione nata. De opera, quam ego in ijs folijs, quæ experiendi gratia typis exarantur, recognoscendis, tibi nauaui, quòd iterum mihi tam liberaliter, & benignè gratias agis: ego partim mea in te propensa voluntate adductus, partim reipub. causa hoc tibi officium præstiti. Sed (loquar tecum sine fūco meo more) mea hæc sedulitas, mihi non satis pulchrè processit. Multa enim me, dum celerius, quàm oportebat, percurro,

fuger

fugerunt: multa rursus à me transuerso calamo interlita, atque ad oras foliorum notata, ab operis non sunt animaduersa. Atque, vt minus mirere, hoc mihi in tuis scriptis accidisse: ne in meis quidem assequi potui, vt omni ex parte emendata, & ab omni mendo pura in publicum prodirent. Equidem fateor, me in hac re non admodum tritum, aut oculatum esse. sed tamen, quod experiendo didici (fuit enim mihi res cum his typorū structoribus menseis aliquot) hoc tibi liquido cōfirmare possum, ne Argum quidem, si vniuersos oculos suos ad huiusmodi errata perspicienda intendat, omnia animaduersurum. De ijs, quæ mihi dubitationem in tuis scriptis afferebant, amo te, quòd omnia diligenter, & erudite perpurgaris. De tuo in me animo, velim tibi ita persuadeas, me tibi in amore certè responsurum, tecumq; omni studio, beneuolentia, officio strenuè certaturum. De Horatio, res propemodum confecta est. De Lucretio, puto me eius editionem Lutetiæ reseruatuum. Sunt enim quedam nondum satis à me polita. Meas autem in eum notas, nō est quòd

speres admodum accuratas, aut reconditas fore. Hoc tantum tibi spondeo, Lucretium ipsum longè omnium, qui vnquam typis excusi fuerunt, emendatissimum in lucem mea opera proditurum. Vale. Kalend. Aprilib. Lugduni.

PETRVS ANGELIVS BARGÆVS

Io. Baptista Minutulo S. P. D.

ET si non ita multis ab hinc diebus ad litteras tuas respondi, tibiq; libros meos de Venatione commendavi, nunc tamen, quòd eos Lucam eram missurus, vt istuc ad te perferrentur, facere non potui, quin hasce alteras scriberem, teq; iterum rogarem, atque obtestarer, vt omni amore enitereris, primùm quidem emendati vt exirent, deinde vt imprimerentur typis ijs, quibus Antonius Gryphius vsus esset in ea imprimenda epistola, quæ vitam Bartholomæi Facij breuiter complexa post illam Bruti nostri ad Albericum Massa, & Carraria Principem legitur. Sunt enim, opinor, ydem illi, quorum & tu exemplum ad Brutum in litteras coniectum, atque inclusum tuas misisti, & ipse ad te non multo ante,

nisi

nisi fallor referendum curauit. Hæc autem ideò scribuntur à me verbosius, quod rem longius differri nolim, si fortè acciderit, vt, quod ad te remissum est litterarum, aliquo casu perierit. nam si rectà istuc peruenit, nihil est quòd historiam Facij consulas: sin minus, ex his litteris, qui sit animus meus, perspicis. Velim etiam, quoniam quidem in petendo verecundia fines semel transgressus sum, des operam diligenter, vt charta sit & magnitudine, & candore eiusmodi, quæ lectori formosam quandam, & illustrem speciem dignitatis præ se ferat: tum prætereà, vt singulas pagellas non amplius viceni quini versus occupent. sic enim fiet, vt & interualla, quibus inter se versus, alter ab altero, distabunt, & ipsorum etiam marginum spatia cum characterum magnitudine proportionem quasi quandam habeant: indeq; illud ipsum existat, quod in omni re tantopere quaritur, decorum. Caue autem existimes, mi Minutule, me, quòd in eiusmodi conquirendis ornamentis, quæ librarij sunt potius accurati, & liberalis, quàm scriptoris docti, & perpoliti tam

anxie

anxiè laborem, eum esse, qui planè desperem fore, ut, quæ scripsi, per se ipsa commendentur. nam præterquam quòd verissimū illud est, quod à Cicerone dicitur, Poëtam adhuc esse inuentum neminem, cui sua maximè non placeant: illud etiam mihi hac in re facile vsuuenit, quod ijs, qui liberos susceperunt, vsuuenire consuevit. id autem est, quòd eorum pulcherrimum quenque, ac formosissimum, splendidissimè, ac sumptuosissimè vestiri, atque ornari volunt. Sed tamen, ne tu me fortasse iocari putes, cum inter cætera, quæ scripsi plurima, hosce sex libros, quos ego, ut vides incredibili cum charitate, tanquam filiolos amplector, atque exosculor meos, non omnino indignos esse iudicem, quos homines docti legant, magnopere opto, ut quàm ornatissimi prodeant in vulgus. quanquam enim ego is non sum, qui vel ingenio, vel eruditioni meæ multum tribuam, id tamen confirmare non verebor, me in hoc pangendo, & conscribendo Poëmate, quod ad ferarum naturam pertinet, & venationem, omnia fuisse diligentissimè persecutum: ac futurum omnino neminem, qui si,

quæ

quæ Oppianus, quæ Gratius, quæ alij scripserunt, cum meis comparet, non intelligat, me multis fortasse carminis venustate, & ingenij luminibus, cedere: rerum verò copia, cunctis vel Græcis, vel Latinis, quorum quidem opera nostram hanc ad ætatem peruenerunt, anteferri oportere. quamquam & in ipso etiam carmine elaborando sic nos gessimus, ut ingenij tenuitatem, quantum quidem efficere potuimus, diligentia superare conati simus. Sed hac in re quid præstiterimus, alij iudicabunt. Tu verò quantum me amas, quantumq; te amari à me vis (vis autem, quemadmodum literæ testantur, quas ad me iam antea misisti, plurimum) tantum contende, & perface, ut ex his libris, quos tuæ commendo, & committo fidei, homines intelligant, te in ijs ornandis non aliter fuisse diligentem, ac si res tua ageretur.

hoc mihi gratius facere nihil potes.

Vale.

Pis. pridie Non. Nouemb. CIO. IO. LX.

Ioannes

IOANNES MICHAEL BRVTVS

Dionysio Lambino S. D.

Equidem Lambine, ni te plurimum amem hominem eruditissimum, atque omni genere reconditoris doctrinae perpolitum, grauem non tibi magis, quàm mihi videar iniuriam fecisse. Detraham enim nihil de tuis summis laudibus, non amando, atque obseruando te: de meo iudicio plurimum. quod vt nunquam mihi sumpsi, ita facile semper sum passus ab ijs hominibus mihi tribui, qui, vt de hoc statuere possent, doctissimi: vt vellent, mei amantissimi etiam essent. Quid tu verò statuas de eo homine, qui lucis aspectus cum illam videat, non oblectetur? Næ ego citius omni sensu caream, quàm hoc tam preposterò iudicio sim. Atque ad meum tibi amorem, & studium probandum, satis est, te intelligere, mihi, quæ in te bona sunt, explorata iam pridem esse. Sed cum te amo, & obseruo, eximia, atque excellenti doctrina adductus tua, aut nullam hoc nomine mihi videor abs te, aut perexiguam gratiam inire. Ita enim causa amandi tui esse in ijs rebus sita videatur,

videatur, quæ in homine amantur etiam cum cetera adsint odio digna. Alia quædam maiora me in tui amorem induxerunt: quæ nunc ego commemorarem, si id modo à me fieri sine modestiæ tuæ offensione posset. Cui autem non est cognita tua virtus, probitas, pudor, religio? Ita enim in tuis scriptis elucet, vt non minima hæc mihi causa sit, cur ab eorum commemoratione nunc mihi supersedendum putem. Accessit ad hæc omnia tuum meritum erga me, magnum illud quidem, & illustre: quo quidem mirarer auctum me esse, à quo homine nulla es, vnquam officio prouocatus, nisi causam haberem cognitam, & perspectam, singularem eandem illam tuam probitatem, quæ ex ingenio manans in primis ad benignè faciendum propenso, litteris etiam exculta, iandiu te in hanc consuetudinem benè de omnibus merendi adduxisset. Itaque quòd susceptum à me munus edendi epistolas doctorum hominum, adiectis tuis, & eruditissimis illis quidem, & elegantissimis, testimonio quasi quodam luculento, & præclaro augere, honestareq; valuisti, sentio.

sentio ipse quàm tibi debeam, semperq³ id adeò præ me feram: scribere omitto, quòd minus me oratione assequi id posse confido. Atque non in eo solùm, me tibi obstrinxisti, quòd beneficio me in præsentia affecisti singulari, & cuius esse immemor nunquam potero: sed quòd simul iniecisti spem mihi per hanc occasionem, fore ut iactis his quasi amicitia nostræ fundamentis, nunquam posthac ab ea ita constituta, confirmataq³ diuel- lar. Quæ res quanti apud me sit futura tum in- telliges, cum periculum facere, quibuscunq² in re- bus visum fuerit, quæ ad tuam dignitatem, existi- mationem, et cõmoda pertineant, libebit. Non fal- lam opinionem tuam. Tu interim pro singulari tua humanitate, quod reliquum est, ita statuas velim, accessisse quidem ad veteres tuas necessitu- dines hanc vnam hominis studiosissimi tui, atque amantiissimi: quæ quidem propterea colenda tibi, tuendaq³ sit, ne male posuisse tuum beneficium videare. Vale, vir doctissime, & da hoc iam ami- citia nostræ, ut vigilantem hominem, & præclare de litteris merentem, liceat hoc genere scribendi
interp

interpellare: temporis enim iacturam, amoris fru- ctu sarcies, quem tu magnum, atque vberem ho- mo humanissimus, non negligere non solùm, sed vtrò appetere etiam soles. Vale iterum, & mei sis memor. Lucæ Kal. Mart. CID. IO. LXI.

D. LAMBIVS MONSTROLIENSIS
Io. Michaëli Bruto S. D.

TUæ epistolæ pluribus verbis responderem, Brute, nisi mihi tute, qui me lacestisti, omnem scribendi facultatem ademisses. Nam tot abs te laudibus in me effusis, fecisti, ut interdum dubitarem, vtrum ad me prudens hanc epistolam misisses, an, cum ad alium scripsisses, meum no- men pro alio, errans in ea posuisses. Nonnun- quam etiam hoc mihi veniebat in mentem, for- tasse te, qui laudes tuis virtutibus debitas probe nosses (nouit enim optimè se ipsa virtus) eas in eam epistolam, quam ad me misisti, coniecisse, no- mineq³ commutato epistolam mihi inscripsisse, vel ut te ipsum liberius, audaciusq³ sub aliena per- sona laudares, vel ut periculum mei faceres. At- qui quauis me non admodum acutum, aut sa-
B gacem

gacem esse fatear: non vsque adeò pinguis, aut hebes sum tamen, vt meas laudes, si quæ sunt, ab alienis distinguere non possim. Vir bonus, ac prudens dici delector ego, ac tu: inquit Flaccus noster. Verumtamen scitum est, sua ipsius conscientia, non aliorum scriptis, aut prædicatione, sua bona metiri, ac ponderare: neque maiorem aliorum testimonio, quàm sua iudicio fidem habere. Hoc igitur, mi Brute, tibi responsum esse puta, me laudes istas, quas mihi tribuis, non agnoscere, vt meas: sed, vt tuas, tibiq; potius, quàm mihi, conuenientis, ad te remittere. Quòd si apud me habitare, atque hæere volent: primùm suadebo, vt eò, vnde profecta sunt, libenter reuertantur: deinde, si negabunt se mihi obtemperaturas: tum eas tanquam à domino fugitivas, arctissimis vinculis constrictas, ad te reducendas, atque adeò retrahendas curabo. Tuum igitur tibi reddo. alterum illud, in quo te mihi amicum profiteris, tuamq; erga me beneuolentiam ad ceteras necessitudines, quæ mihi cum meis veteribus amicis intercedunt, aggregare iubes, libenter accipio, mordicusq; tenebo: teq;
obtest

obtestor, vt, si me hominem esse humanitate excultum, non ferum existimas, tuam istam erga me beneuolentiam perpetuò conserues. De epistolis, quicquid huius feci, Minutuli, & Gryfij rogatu feci. qua in re si quam abs te gratiam inij, est quòd vehementer gaudeam, mihiq; gratuler: sin aliter, culpam in vtrunque illorum conferre debis, non in me, qui eorum precibus cessi, cum duobus pugnare non ausus. Vale. Lugduni pridie nonas Aprileis anno CIO. IO. LXI.

MALVDANVS LAMBINO SVO.

HEri litteras, quas ad me Kalend. Febr. didisti Lugduni, sub cœnam cum acceperunt ego magno, ac solido gaudio totus pœnè exiliens, Hæc Maludane diem, exclamaui mi Lambine, numera meliore lapillo. silentium enim, quo vsus es sanè quàm longo, fecit, vt illæ mihi venerint & magis optatæ, & iucundiores. In eis agnouimus quidem sigillum, & manum tuam libenter: sed ingenij tui comitatem, quam, dum vnà viximus Tolosæ, semper sum vnice exosculatus, multò libentius. Quàm falsò credideram, te in Italia,

B 2 ubi

ubi diu fuisti peregrè, animum iuxta ac cælum,
 multorum more improbato, mutasse! hoc est, tibi
 Alpeis transeunti statim inter eas cauteis nostri
 memoriam excidisse! Quanta verò voluptati mi-
 hi fuere postremi versus, quibus mihi, uxori, libe-
 risq̄ meis omnia lata, atque secunda exoptas? Si
 tuorum studiorum rationes patiantur: proximis
 quadragenis verni Ieiunij diebus ad me sæpius
 scribas velim. idq̄, ut facias, vehementer te rogo.
 Litteras tuas libentius sectabor, quàm rhombos,
 aut lampetras. capos, aut perdices, dicere religio
 est. neque enim gulæ adeò procacis, prurientis ve-
 culina nostra est. firmiteribus fulturis, aut tibici-
 nibus non arbitror absentium amicitias sustineri
 posse, quàm huiusmodi mutuis scribendi officijs.
 Ad tuas venio. Te saluum ex Italia redysse læ-
 tor. Quàm vellem coràm ex te audire, & Erri-
 co Memmio nostro, quæ in ea orbis terrarum
 parte, olim ut imperij, ita omnium virtutum, bo-
 narumq̄ artium altrice, prisce Romane dignita-
 tis observaueritis vestigia! huiusmodi mercibus
 vos illinc onustos, ac beatos redysse mihi facile
 persua

persuadeo. Notas in Horatium tuas, quarum istic
 adornas in officina Tornesiana editionem, spero
 tam illustreis fore, ut omnibus omnium interpre-
 tum, qui in eo explicando hætenus desudarunt,
 omnino luminibus officiant. Næ tu homo nego-
 ciosus es in ocio. Quaterniones, quos ad me misisti,
 specimina quasi quædam vniuersi operis, mihi fi-
 dem fecerunt, quàm feliciter abdita perscruteris:
 deprauata corrigas: obscura illustres: ambigua di-
 stinguas. Omnia ἀξιολογώτατα: undeq̄ possis
 spem aliquam immortalitatis tibi polliceri. Ae-
 tas tuam quidem mortalitatem aliquando finiet:
 vitam verò tuam nunquam finiet. Tuâ operâ
 poëta ille (quem propter sententiarum grauita-
 tem, ac rerum copiam ad benè, beateq̄ viuendum
 Platonem poëtarum appellare soleo) in manus
 studiosorum veniet tersior, elegantiorq̄. hoc vidi-
 sti Lambine, vtendum esse iudicijs non solum eo-
 rum, qui nunc sunt: sed illorum etiam, qui ali-
 quando futuri sunt. Laudarem in editione si pri-
 ma pagina effigiem tuam præferret ὑπερφικῶς
 expressam: non sine exemplo multorum: qui suas

vigilias in lucem emittant suis iconibus quasi ob-
 signatas. E nostris id fecerunt And. Tiraquellus,
 & Fran. Duarenus: è vestris Pontus, & Mure-
 tus. Gravior prodierit Horatius, si vulticulus iste
 tuus de facie studiosis omnibus notus fiat. neque
 puro istic deesse Lysippos, qui eam in æs probe in-
 cidant. Id vnum desiderabo in libello, si impri-
 mendum non curaueris. De me: vt tu scrinia,
 ita ego, horrea vt plena sint, laboro. vt tu libris,
 ita ego liberis operam dare non cesso. vt tu tuæ,
 ita ego posteritati iam intersum meæ. Filia mihi
 quinquennis est, cum filiolo bimbo. Eum numerum
 hisce diebus auxit alter filiulus. Num mihi co-
 dicillis opus est, quibus impetrem à Principe ius
 trium scilicet liberorum? Familiolam meam non-
 dum satis idoneè omnem in partem institui. Ex
 tribus, quæ vos censetis necessaria esse in re fami-
 liare constituenda, tertium mihi deest. primum
 enim γυναικα, (nam ordinem Hesiodi nihil sim-
 moratus) deinde οἶκον mihi paravi. restat, vt
 emam βῆν ἀποτήρα: hoc est, villam, quæ mihi
 sit instar Tusculani: vbi seueritatem ac tristitiam
 urbani

urbani supercilij, hilaritate, & comitate rustica
 remittam. hoc comparabo, cum à nummis arca
 nostra paulo paratior erit. Quantum valeant
 momenta temporum in Rep. didici nuper, cum
 Paullus Thermus nostræ ciuitatis cervicibus im-
 mineret: essent ἡ πλὴρη πένια πολεμικῆς χε-
 ρός. vidi epistolam Err. Memmij ad te scriptam.
 Amat te, & colit vnice. Illum abundare pluri-
 mis virtutibus negabimus, qui alienas ita ample-
 ctatur? locupletissimus est. sed studia amat, vt
 pauper. Occupatur officijs toga, & honoribus. In
 disciplinis tamen meliorum artium ita excellit,
 vt eos superet, qui per totam vitam litteris assi-
 deat. Spero, immo verò vaticinor futurum, vt ali-
 quando elaboret, quæ digna sint chartis, digna au-
 ribus. Si quid sit, quod me vnum scire velis: scri-
 be: sed μυστικώτερον. sagaciter omnia odorabor.
 Vale. Lemuica, Idibus Febr. CIO. IO. LXI.

D. LAMBIVS IO. MALVDANO
 S. D.

SERò quidem, sed aliquando tamen ad te meæ
 litteræ venient. Omnino negare non possum,
 B 4 quia

quin diutius, quàm debui, cessarim, diemq̄ rescribendi longius, quàm oportuit, protulerim. Commemorare autem tibi, quàm sim occupatus, praesertim in nugis, vereor ne tibi putidum videatur. Atqui ita se res habet tamen: vixq̄ tempus habui harum litterarum scribendarum: idq̄ ex his ipsis qualibuscunque occupationibus dereptum, ac detractum. Litteræ igitur tuæ vin' scire, quàm mihi fuerint iucundæ? æquè, atque ipsius patriæ aspectus. Alpes nihil me immutarunt. Idem sum, qui fui. hoc experiendo cognosces. Tui memoria me quo quò profectus sum, assiduè prosecuta est: neque me quandiu, & ubicunque viam, deseret. Epistolam ad Memmium (de quo meum iudicium à tuo ne tantillum quidem discrepat) quam horis subsociis, ipsisq̄ interruptis conscripseram, mitto ad te puero inter ambulandum dictatam. Non licuit mihi per has molestissimas occupationes eam mea manu scribere. Tu curabis ad eum perferendam: sed hac lege, ut, si scriptura Gallica tibi non probabitur, iubeas eam ab aliquo ex tuis, Latinarum litterarum elementis describi. Mis-

sissimè

sissimè ipse: sed veritus sum, ne non esset Lutetia. te autem credibile est, ubi sit, certò scire. De notis meis in Horatium multa tu quidem amantium more, πλὴν ἀλήθειαν ὑπερβάλλον. Ego autem vereor, ne vituperer ab hominibus non malevolentissimis, quòd bonas horas tam pertinaciter, atque improbè in tali re posuerim. Quid futurum sit, & quid de his meis vigilijs homines iudicaturi sint, incertum: hoc scio, mihi hunc laborem magno constare. solareri me, nisi suspicarer, te amore corruptum, minus verè de meis scriptis iudicare. De imagine, obsecro te, ioco'ne, an seriò ista scripsisti? an verò me ita insanire, & τετυφώσασαι putas, ut istuc in animum inducam? Nam quis ego sum? aut quid ego vel gessi, vel feci, quam obrem mihi statuam, aut imaginem poscam? sed fac me μέλαινα τινὰ φῶτα εἶναι, ἢ πολλαίτε, & καλὰ διαπρέξασθαι, ὅς πᾶν μικρός εἰμι, ὄργος τ' αἰεὶ, & ἀπράξιμων διήγασθαι: nonne deberet apud me valere M. Catonis auctoritas, ὅς πρὸς τὸς θαυμάζοντας, ὅτι πολλῶν ἀδόξων ἀνδραγαθίας ἔχόντων, ἑκάστος ἑκ' ἑχθρῶν μάλ

B 5

μάλλον γὰρ, ἔφη, βέλομαι ζήτῆσθαι διατί-
 μες ἀνδρίας κένται, ἢ διὰ τί κένται. *Habes*
quid sentiam de imaginibus. Liberis tuis quid
maius optare possim, quàm, ut eis sapientia, fa-
cundia, Gratia, fama, valetudo contingat abunde:
Et mundus victus? tenes cetera. quorum alia
θεῶν ἐν γούνασι κένται: alia in te sunt posita. De
Thermo, & temporum momentis tibi assentior.
Omnino mira quaedam, & quibus obstupescet
posteritas, nostra etate acciderunt. quorum non-
dum videmus exitum, aut modum. Οἱ Πελοπι-
δαί ἦθηον, ἢ πρῶτον ἰσχύουσιν. ὁ Ηρακλεί-
δης εὐσθενῆς μὲν, εὐήθης δέ, & ἐλαττωτικός
ὑπὲρ μέτρον. Ἔ τ' ἡμιθέων τρατηγῶν ἐν γε-
νοχωρίαι τα πρῶτα. Εὐνατος ὁ ἐκ Τύ-
ρῶ αὐτῶ κτ' δύναμιν ἐπικερῆ. ἢ ἔ τ' Φρυ-
γίας ὄρεσ ἐναέτις ἀμηχανῶς ἔχθ. οἱ Ξυλο-
δάμονες χλωροὶ ὑπὸ δέσς. χρήματα δέ
νεῦρα ἔ πολέμῃ. Θηλείον τ' πολυκάρλιον
διχοσατεῖ. οἱ εὐπαξίδαί, & εὐγενεῖς ὁμοφρο-
νεῖν φάινονται. ὅλως εἰπεῖν, ἔ φαυδρὸν τ' ἔ
Κρόνῃ πρῶσωπον. Quòd elegantissimis, & cul-
tissimis

tissimis versibus meos in Horatium commenta-
rios commendasti. gratissimum fecisti. Volueram
hoc ipsum abs te petere: sed pudore deterritus re-
fugeram. Omnino tam luculento testimo-
nio, ac præconio freti prodibunt in
publicum audacius. Unum ve-
reor, ne merx non sit
præconio digna.

Vale.

Lugduni a. d. XII. Kal. Mart. CIO. IO. L X I.

F I N I S.

Errata sic corrigito. Quorum prior numerus paginam, posterior versum significat.

Pagina.	Versus.	
2.	7.	recreate.
11.	17.	Helene
11.	19.	fortasse legendum penè, seu, triste.
12.	11.	declinem.
12.	15.	fortasse leg. corrupta,
18.	3.	sordidaq;
18.	5.	fugæ
19.	16.	illico.
20.	15.	vnquam.
35.	20.	pertæsus
40.	12.	ὄργωσα
44.	6.	tam.
45.	16.	verba. Μόνη
45.	19.	ἀρχεῖος δὲ. φέρει δὲ ἔτι πῶς ἑτέραν.
45.	21.	vulgatis.
50.	1.	Mirobrigenfium.
50.	20.	astrologicis theorematis
50.	20.	operæ
51.	4.	exemplarium.
52.		In alterius lineæ transuersæ inferiore parte, quæ decussatim orbem secat. O P. BRV. O R. BRV.
54.	8.	sic veritas.
54.	20.	censes
65.	3.	veteribus cum memoretur, iuniorū &c.
71.	3.	ἐπανέ, tum
75.	13.	episodij

æstates

Pagina. Versus.

82.	16.	æstates
95.	22.	opinor
100.	22.	quæ eadem est.
104.	6.	consumpsi.
106.	17.	est vno nomine.
111.	2.	arma.
112.	13.	quòd.
120.	1.	Siculi.
125.	19.	nemi ne
127.	17.	questus
128.	16.	uteruis
129.	5.	iam urbanus
129.	12.	seruitio premebatur.
131.	20.	Nicæa vrbe
136.	18.	sponte Regi.
140.	13.	magnitudineq; imperij.
154.	5.	x x. atque altero anno.
160.	13.	appellandum Regem curauit.
171.	20.	re perspecta.
179.	2.	complexa.
209.	21.	Barbati.
210.	10.	Barbato homini.
210.	13.	ἡλιωροφεία
210.	22.	ἡλιωροφουῶτες
212.	8.	alsius.
238.	2.	vos.
269.	7.	Ione.
291.	4.	Est scilicet hoc
293.	19.	ferreusq; esse: quòd
314.	17.	Ionia
263.	7.	Quid vero? An non id nunc mihi vsu venit? Quid tu enim agis? aut qua in re labor

Pagina. Versus.

Pagina.	Versus.	laboras? laudem, &c.
326.	9.	Delbenio
342.	II.	tam liberalem
ibid.	20.	ea ne
343.	15.	μετενεχθῆναι
344.	I.	ἀπολωλεκόσιν;
345.	18.	εἰς, δύο, τρεῖς.
351.	I.	defintq;
353.	18.	deambulatum
384.	4.	εὐτυχήματα
408.	3.	quin in solas
411.	I.	sin culpa vaco,
432.	15.	vt ipsorum typorum structurae, seu posi- turae
443.	4.	libros tuos legi, cum



LVGDVNI
APVD HÆREDES SEB.
GRYPHII.

